PIA AC DEVOTA PRÆPARATIO AD SACRAM Synaxin,

ANTE ANNOS ALIQVOT, priuatim discipulis quibusdam tradita

à

BARTHOLOMÆO KECKERMANNO in Gymnasio Dantiscano.

Nunc verò in gratiam studiosæ iuuentutis, publici iuris facta.




HANOVIÆ
Apud Hæredes Guilielmi Antonii.
MDCXI.
Cum gratia & priuilegio S. Cæs. Maiest.



Ad Lectorem Beneuolum.

EDiti sunt post mortem Clarissimi viri *Bartholomaei Keckermanni*, aliquot Commentarii Philosophici ab eius discipulis, quos viuens non euulgauerat, optimo sanè & valde laudabili exemplo; magno etiam eorum emolumento, qui ex huius Philosophi libris, se plurimum proficere fatentur. Quorum exemplum secutus, duo Scripta eiusdem Autoris, Amici quondam mei singularis, alterum *De Pia ac deuota praeparatione ad Sacram Synaxin*, Theologicum, alterum *de Nauigatione*, Philosophicum, quæ in vsum priuatum *Dantisci* paraueram, publici iuris facio, & tecum communico. Quo quidem officio, non tam ipsum *Keckermannum*, quam te, Amice Lector, demereor. Illi enim & ingenii monumētis claro, & iam inter beatos cælestem vitam degenti, vix aliquid à nobis accedere potest; tibi verò ex lectione vtriusque Commentarii, non exigua accedet, vti spero, vtilitas. Fruere igitur his mecum feliciter, & studium in te meum boni consule. Vale. Dabam Herbornæ Anno Domini 16011. 7. Aprilis.

Abraham Wysotzky Gorni
Polonus.



KECKERMANNE *vir es, quoniam duo pectora gestas;*
Theologi pectus, Philosophiq; geris,
KECKERMANNE *vir es, quamuis corpus tegat vrna,*
Attamen in libris viuis, & inde vir es.
E tenebris quoniam quam plurima tu eripuisti,
Ista per, vmbrosis eriperis tenebris.

Iohan-Henricus Alstedius professor
Philosophiæ f. in illustri
Herbornacâ.

PIA



PIA AC DEVOTA PRÆPARATIO AD SACRAM SYNAXIN.

Quid est Religio Christiana?



EST *cultus* quem homo pius ac religiosus Deo præstat ex obligatione, qua Deo est obstrictus & velut religatus. In qua omnis vitę bonæ ac beatæ via constituta est: vt August. in lib. de vera religione c. 1. inquit. *Omnis vita bonæ ac beatæ via in vera religione constituta est, quâ vnus Deus cognoscitur & purissima pietate colitur.* Hac enim religione hominis anima se vni Deo, à quo per peccatum abrepta erat, recõciliatione religat; vnde & religio dicta. Deo enim religantes animas nostras, superstitione omni caremus. Lactant. lib. 4. c. 28. & lib. 6. c. 1. *Vinculo,* inquit, *pietatis obstricti Deo & religati sumus: vnde ipsa religio nomen habet, non vt Cicero interpretatus est à relegendo, sed*

quod hominem Deus sibi religauerit i. e. obligauerit & pietate constrinxerit, quia seruire nos ei vt Domino, & obsequi vt patri necesse est. Id enim est hominis officiũ, in eoque solum summa rerum & omnis vitæ beatæ felicitas consistit. Hic est sapientiæ gradus primus, vt sciamus, quid sit nobis verus pater, eumque solum pietate debita prosequamur, huic pareamus huic deuotissime seruiamus.

Quæ sunt ergo præcipuæ partes siue opera Religionis Christianæ aut cultus diuini?

Tria 1. *Meditatio* verbi diuini, atque ideo fidei in Christum saluatorem, quæ in hoc solo præcipuè continetur, & ad quem omnia in ea referuntur. 2 *Vsus Sacramentorum* à Christo institutorum. 3. *Inuocatio* nominis diuini coniuncta cum charitate Dei & Proximi. De prima parte *Religionis Christianæ*, & de postrema alio tempore & loco docetur. Nobis propositum est hac vice tantum tractare de altera parte *Religionis Christianæ, & cultus diuini* nempe de vsu præcipui in N. T. Sacramenti nempe *cœna*

Domi-

Dominicæ, quæ etiam ſacra communio & Euchariſtia i. e. eminentiſſima gratiarum actio Chriſto redemptori debita appellatur.

In quibusnam rebus conſiſtit legitimus vſus & præparatio vera ad Sacram communionem.

In duabus. Nempe in *notitia* & *deuotione*.

Quotuplex eſt Notitia quæ pertinet ad legitimam præparationem & vſum Sacræ communionis?

Duplex. *Generalis* & *Specialis*.

Quotuplex eſt Generalis?

Duplex. *Prima* & *orta* à prima.

Quot partibus conſtat prima?

Duabus. Doctrina *de Deo* & doctrina de *verbo Dei*.

Quid eſt Deus?

Deus eſt *Eſſentia* ſpiritualis, prima, perfectiſſima, æterna, infinita, omnipotens, immenſæ ſapientiæ bonitatis, miſericordiæ, iuſtitiæ ſubſiſtens in tribus *perſonis*, Patre, Filio, & Spiritu Sancto.

Quænam ſunt in Deo conſideranda?

Duo. *Eſſentia* & *Perſona.*

Quæ & qualis eſt Eſſentia Dei?

Eſt *ſimpliciſſima* & *vnica*, ita vt ratione Eſſentiæ Deus ſimpliciter ſit *vnus*, ſicut Scriptura teſtatur Deut. 6. v. 4. *Audi Iſrael, Dominus Deus noster, Deus vnus eſt.* 1. Tim. 2. v. 5. *Vnus Deus & mediator.*

Quid eſt Perſona?

Eſt *modus Eſſentiæ* per quam Eſſentia certa quadam relatione exiſtit. *Modus Eſſentiæ diuinæ* dicitur relatio quædam, quæ tamen non multiplicat eſſentiam, neque diuidit in partes. Id quod declarari poteſt ſimilitudine graduum in luce & calore, ſunt enim in lumine ſolari certi gradus, ita vt alia dicatur lux matutina, alia meridiana, qui tamen gradus non multiplicant lucem. Ita in calore ſunt gradus tepor & feruor, qui tamen gradus non faciunt diuerſos calores, ſed eſt vnus idemque numero calor in aqua feruida, qui ante erat in aqua tepida Hoc iam ſimilitudine aliqua accommodetur ad doctrinam de *Perſonis diuinis*,

quas

quas dicimus esse modos, qui non multiplicant *Eßentiam diuinam*, sicut gradus lucis non multiplicant lucem, gradus caloris non multiplicant calorem. Ita rectè dico quod sint plures *personæ* siue modi in *Essentia diuina*, sed male & blasphemè dicitur, quod sint plures essentię diuinæ seu plures Dii.

Quot sunt personæ seu modi Eßentiæ diuinæ?

Tres. *Pater*, *Filius*, & *Spiritus Sanctus*, quod probatur manifestissimis testimoniis S.S. Mat. 21. v. 19. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine*(i. e. autoritate & iussu) *Patris, Filii & Spiritus Sancti*. Ioh. 15. v. 26. *Cum venerit aduocatus ille quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus veritatis qui à Patre procedit, ille testabitur de me.* Hic disertè tres nominantur, *Pater* à quo mittitur *Spiritus Sanctus*, *Filius* qui mittit, & *Spiritus Sanctus*, qui mittitur. 1. Ioh. 5. v. 7. *Tres sunt qui testificantur in cælo Pater, verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt* (Essentia.)

Quomodo probas has tres personas eße vnum illum verum Deum?

Primo mihi concedendum est has tres personas esse distinctas, quia is qui mittit, distinctus est ab eo qui mittitur, & is à quo mittitur alius est ab eo, qui mittitur. Iam vero Ioh. 15. diserte ait *Christus se* esse eum qui mittit, *Spiritum Sanctum* qui mittitur, *Patrem* vero à quo filius mittit Spiritum Sanctum. Vnde necessario concluditur *hos tres modos Essentiæ diuinæ distinctos esse.* Quo obtento, iam facile probabo hos tres distinctos modos Essentię diuinę, siue has tres personas in Essentia diuina distinctas, esse verum illum Deum. Nam primò de *Patre* ipsi aduersarii concedunt, quod sit verus Deus. De *filio* manifesta sunt testimonia Scripturæ. Rom. 9. v. 5. *Quorum Israelitarum sunt Patres ex quibus est Christus quoad carnē attinet, qui est supra omnes Deus laudandus in secula.* Si *super omnes*, Ergo & *super eos qui secundum dona excellentia dicuntur Dii.* Quod vero *Spiritus Sanctus* sit Deus, probant euidenter hęc dicta Scripturæ Act. 5. v. 3. inquit Petrus ad Ananiam: *Cur impleuit Sathanas cor tuum, vt mentireris in Spiritum Sanctum?* Et statim addit. v. 4. *Non enim es mentitus hominibus, sed Deo.* Ergo *Spiritus Sanctus est Deus.* Alte-

rum teſtimonium eſt.1.Cor.2.v.10. *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunditates Dei*,& v.ſeq. quis enim nouit, ea quę ſunt hominis, niſi Spiritus hominis qui eſt in eo? ita etiam ea quæ ſunt Spiritus Dei nemo nouit, niſi Spiritus Dei: vnde tales conficiuntur ratiocinationes.1. *Quicumque nouit arcana* ſeu *profunditates Dei*, ſeu quod idem eſt, *qui eſt omniſcius ille eſt Deus*. At *Spiritus Sanctus*. Ergo. *Maior* eſt per ſe nota. *Minor expreſſa* eſt in textu. 2. *Quicquid eſt in Deo illud eſt Deus. Spiritus S. eſt in Deo*. Ergo. *Maior* eſt certa, quia Deus non componitur ex aliqua re, quæ non ſit Deus, cum ſit *Eſſentia ſimpliciſſima* expers omnis diſcrepantiæ & compoſitionis. *Minor* eſt in *textu* v.10. vbi dicitur: ſicut *anima rationalis* eſt in homine. id eſt de eſſentia hominis, ita *Spiritus Sanctus* eſt in Deo. Huc referri poteſt etiam illud teſtimonium quod eſt 2. Cor. 1.v.17. *An neſcitis vos eſſe templum Dei & Spiritum Sanctum habitare in vobis*? vbi verba poſteriora ſunt explicatiua priorum; perinde enim eſt ac ſi diceret Apoſtol⁹, An neſcitis vos eſſe templum Dei cum Spiritus Sanctus habitet in vobis, qui eſt Deus. Si autem dicant aduerſarii: Spiri-

tum nihil aliud esse, quam *effecta & dona Dei*, manifestissimè confunduntur verbis Scripturæ, quæ extant. 1. Cor. 12. v. 4. 5. 6. *Distinctiones donorum sunt, at idem est Spiritus, Distinctiones ministeriorum sunt, sed idem est Dominus: Distinctiones operationum sunt, sed idem est Deus ea efficiens omnia in omnibus.* Et v. 11. *Omnia hæc dona efficit vnus ille & idem Spiritus, distribuens priuatim cui vult.* Vnde talis ratiocinatio. *Qui distribuit donum, ille ipse non est illud donum quod distribuitur. Spiritus Sanctus. &c.* Ergo. *Maior* per se est clara. *Minor* est euidens in *textu*, vbi dicitur, quod omnia dona efficiat & distribuat Spiritus. Altera ratiocinatio ex eodem textu: *Qui præditus est voluntate, ille non est nuda quædam virtus seu accidens, sed est existentia per se subsistens. Spiritus Sanctus &c.* Ergo. *Maior* est clara: nam quicumque vult, ille intelligit, quicumque vero & *vult & intelligit* est substantia per se subsistens: Minor clara est in *textu*, vbi dicitur *Spiritus singulis distribuit, sicut vult.*

Audiui doctrinam de Deo, dic mihi porrò quid sit sacra Scriptura?

Est

Est *Testimonium* quod DEVS humano generi perhibuit, de *Essentia & voluntate* sua, & de rebus ad *Salutem* hominis pertinentibus.

Quomodo diuiditur Sacra Scriptura?

Tripliciter 1. Ratione *temporis* quo reuelata fuit. 2. Ratione *autoritatis* quam habet in probando. 3. Ratione *materiæ* quam tractat.

Quomodo diuiditur Scriptura ratione temporis quo reuelata fuit?

In *Vetus* & *Nouum Testamentum*. Itaq; *vetus Testamentum*, est pars Scripturæ ea, quam Deus reuelauit primis hominibus in genere humano & *populo Iudaico*, vsq; ad ministerium Christi, reuelauit inquā per Prophetas tanquam amanuenses seu Notarios. *Nouum vero Testamentum* dicitur ea pars Scripturæ Sacræ, quam Deus *humano generi* reuelauit post natum Christum per Euangelistas & Apostolos, tanquam notarios.

Quomodo diuiditur Scriptura ratione autoritatis quam habet in probando?

In libros *Canonicos* & non Canonicos seu *Apocryphos*.

Quos dicis libros Canonicos?

Eos qui infallibilem autoritatem habent in probandis articulis fidei: seu qui sunt *norma & regula* nostræ fidei. Canonicum enim dicitur à Canone i.e. regula seu norma.

Quotuplices sunt libri Canonici?

Duplices. *Veteris & Noui Testamenti.*

Qui sunt libri Canonici. V.T?

Libri Canonici V.T. distribuuntur in quatuor classes. 1. Continet quinque *libros Mosis*. 2. Libros qui appellantur *Historici*, vt libri Iosue, Iudicum, Ruth, duo libri Samuelis, duo Regum, duo Chronicorum, Esdræ, Nehemiæ, Esther. 3. Libros qui carmine scripti sunt, seu libri *Rythmici*, vt liber Iob, Psalmi Dauidis, Prouerbia Salomonis, & Cantica canticorum. 4. Complectitur *Prophetas*, qui sunt duplices, nempe quatuor *maiores*, & duodecim *minores*.

Qui sunt libri Canonici N.T?

Libri Canonici N.T. sunt qui diuiduntur in historiam *Euangelicam*, in *Acta*

Apo-

Apoſtolorum, in *Epiſtolas* Apoſtolicas, & in Prophetiam ſeu *Apocalypſin* Ioannis.

Quinam vocantur Apocryphi ſeu non Canonici?

Qui non habent infallibilem veritatem & autoritatem in probandis articulis fidei, atque adeo qui *non ſunt regula & norma* credendi, tum præcepta vitæ, tùm etiam documenta Hiſtorica.

Qui ſunt libri Apocryphi ſeu non Canonici?

Inter libros V. T. vt ante diximus quidam reperiuntur libri non Canonici, vt eſt liber *Thobiæ, Iudith, Sapientiæ* qui malè aſcribitur Salomoni, Eccleſiaſticus ſiue *Syracides, Tertius* & *quartus Eſdræ. Machabæorum omnes, Baruch cum Epiſtola Ieremiæ, Oratio Manaſſæ, Fragmenta Eſther, adiectiones ad Danielem* vt eſt hymnus trium puerorum. Hiſtoria Suſannæ, Hiſtoria Beli & Draconis. Hi omnes libri non extant in lingua Hebræa quâ ſola voluit Deus ſcribi libros V. T. nec etiam ſcripti ſunt à *Prophetis* ſiue perſonis immediate à

Deo vocatis. Nec vſquam à *Chriſto Euangeliſtis*, aut *Apoſtolis* citantur, & denique multa habent falſa. Idcirco cum Pontificii aliquid ex his libris cõtra nos citãt, reſpondendum eſt, quod in iſtis libris non contineatur infallibile verbum Dei, & per conſequens, quod non habeant immotam vim probandi.

Quomodo diuiditur Sacra Scriptura ratione materiæ de qua tractat?

In *Legem* & *Euangelium*. *Lex* enim vocatur illa pars verbi Diuini, quâ docetur quid facere debeamus. *Euangelium* verò dicitur illa pars verbi Diuini, vbi docetur quid credere debeamus, atq; adeò in quâ promittitur nobis remiſſio peccatorum per fidem in Chriſtum.

Audiui ſatis de diſtinctione verbi Diuini, quæſo etiam erudias me de Proprietatibus verbi Diuini?

Faciam libenter: modò id primò moneam, nos poſthac *Sacram Scripturam* ſemper vſurpaturos pro *libris Canonicis* tantum, non etiam Apocryphis.

Quæ est prima proprietas Sacræ Scripturæ?

Prima proprietas est, quod omnem *autoritatem* suam habeat à solo *Deo*, non ab hominum piorum cœtu, qui dicitur *Ecclesia*.

Quomodo hoc probas?

Probo hisce rationibus. 1. *Testimonium Dei non habet autoritatem ab hominibus. Scriptura est testimonium solius Dei.* Ergo *non habet autoritatem ab hominibus* etiam sanctissimis: & per consequens, nec ab *Ecclesia*, quæ nihil aliud est quam multitudo piorum & sanctorum hominum. Vis argumenti extat 1. Ioh. 5. *Si testimonium hominum accipimus, vtique testimonium Dei maius est.* 2. *A quo pendet autoritas Scripturæ, illud debet esse naturâ prius Scriptura. At Ecclesia non est prior quam verbum Dei.* Ergo. *Maior* est manifesta, quia omne id quod *dependet* ab alio, est *posterius* eo à quo dependet. *Minor* probatur. *Quod colligitur, regitur, regeneratur per verbum seu Scripturam illud est posterius Scriptura.* Atqui *Ecclesia*. Ergo. *Maior* per se nota. *Minor* probatur 1. Pet. 1. v. 23. *Regeniti sumus*

per sermonem Dei. Iacob.1. v.18. *Progenuit nos sermone veritatis.* Ioh.17.v.20. *Qui per sermonem eorum credituri sunt in me.* 3. *Fundamentum non pendet à tecto* aut contignationibus super fundamentum extructis: sed contra, contignationes potius & tectum pendet à fundamento. At *verbum Dei est fundamentum.* Ergo. *Maior* per se nota. *Minor* probatur. Eph.2.v.20. *Ædificati estis super fundamentum Prophetarum, & Apostolorum.* Obiiciunt pontificii locum. 1.Tim.3. v.15. *Vbi dicitur Ecclesia esse columna & stabilimentum veritatis. Resp.* Est fallacia dicti secundum quid. *Ecclesia* enim dicitur *columna & stabilimentum veritatis* non respectu sui, sed respectu *capitis Christi*, qui est lapis ille angularis. Et deinde respectu *conseruationis Scripturæ*, quatenus nempe Deus penes Ecclesiam posuit thesaurum verbi sui, & in Ecclesia tanquam domus seu palatii sui columna & valuis, appendit tabulas S° S^as. quas genus humanum ibi legere debeat: non secus ac Magistratus ad calumnas & valuas curiæ suspendit tabulas mandatorum suorum, vt subditi eas ibi tanquam in loco publico legere possint. Denique

Eccle-

Ecclesia dicitur columna *veritatis* eo respectu, quia eius testimonio tanquam *instrumento* vtitur Deus ad S. S^am^. hominibus proponendam, docendam, & declarandam. Nam Ecclesiæ ministri sunt custodes veritatis & interpretes Scripturarum, non quasi autoritas Scripturæ ab ipsis pendeat, sed quod Deus illis vtatur, tanquam seruis & ministris ad S. S. hominibus proponendam & inculcandam, & non secus ac Princeps vtitur præcone ad mandata subditis suis promulganda. Capiatur hoc loco similitudo: Proficiscitur aliquis ad Academiam tanquam officinam doctrinæ, non tamen propterea sequitur, veritatem doctrinæ quam in Academia discimus, pendere ab autoritate ipsius Academię. Porro & hoc notari debet, ista omnia quæ Pontificii dicunt de *Autoritate Ecclesiæ* in Scriptura, nihil eos iuuare, sed committi ab iis manifestam petitionem principii, dum sic argumentantur: *Ecclesia habet autoritatem in Scripturas. Pontifex Romanus est Ecclesia.* Ergo. Nam si maximè illis concedamus *maiorem* (quæ tamen manifestè vt iam probauimus, falsa est)

tamen *minorem* in æternum non possunt probare, vt infra distinctiùs intelligitur.

Quæ est altera proprietas verbi Diuini seu Sacræ Scripturæ?

Quod sit integra, perfecta & *sufficiens ad Salutem*: quod probatur Ioh. 20. v. 30. *Multa alia signa edidit Christus, quæ non sunt scripta in libro hoc, hæc autem scripta sunt, vt credatis Iesum esse Christum illum Filium Dei, & vt credentes vitam habeatis per nomen eius*. Ex quo loco argumentor: *Quod scriptum est ita vt possimus per illud credere in Christum Iesum & habere vitam æternam, illud est sufficiens ad vitam æternam*. At *Scriptura*: Ergo. Simul etiam inde argumentor: *S. Scriptura scripta est, vt credamus in filium Dei, & habeamus vitam æternam*. Ergo *quodcunque verbum non est scriptum, illud non prodest nobis ad fidem in Christum, & vitam æternam*. Quod diligenter obseruetur contra errorem Pontificiorum, qui duplex faciunt verbum Dei, scriptum & non scriptum; atque idcirco nobis obtrudunt *traditiones*, quas vocant Apostolicas, & *decreta* Pontificum, & *consuetudi-*

nem

nem Ecclesiæ. De quibus dicit Concil. Trident. sessione 5. *Anathema sit, qui non pari animi affectu veneretur traditiones Ecclesiæ, vt Sacras literas.* Sed contra istas traditiones notetur. 1. *Sufficientia Scripturæ* 2. hoc argumentum: *Traditiones Ecclesiæ aut consentiunt cum S.S. aut ab ea dissentiunt. Si consentiunt, idem dicunt, quod Scriptura, & sic sunt scripturæ.* Nam quod potest fieri per pauca id non debet fieri per plura. *Aut dissentiunt à Scriptura* (vt omnes traditiones Pontificiorum, v.g. traditio de vino non porrigendo ad bibendum Laicis in cœna Domini & similes.) *Si autem dissentiunt, non possunt complere scripturam.* Nam quod cum re aliqua pugnat, id rem istam non supplet, sed euertit. Alterum testimonium de $S^{æ}$. $S^{æ}$. *perfectione* manifestissimum est. 2. Tim. 3. v. 6. *Tota scriptura diuinitus inspirata est, & vtilis ad doctrinam, & redargutionem, correctionem & institutionem, vt perfectus sit homo Dei, & ad omne opus Dei perfecte instructus.* Ex quo tales argumẽtationes extruuntur. 1. *Scriptura est tota. Ergo perfecta*; nam totum, est quod omnes partes necessarias habet. 2. *Quod sufficit ad doctrinam & redargutio-*

nem, correctionem, & institutionem, id est plenum, nam quintum dari non potest, ad quod scriptura vtilis esse debeat. At vero *scriptura est ad ista sufficiēs*. Ergo. 3. *Quod facit hominem perfectum & ad omne opus instructū, idipsum perfectū esse necesse est*. At *scriptura est talis*. Ergo. *Maior* probatur, quia nullꝰ *effectus* est perfectior sua *causa*. Seu, perfectus effectus ponit perfectam causam, & quod quis non habet, alteri non dat. Si ergo scriptura efficit homines perfectos, etiam ipsa erit perfecta.

Quæ est tertia proprietas Sacræ Scripturæ?

Quod in articulis fidei ad salutem necessariis sit *clara & perspicua*: clara inquam & perspicua est. 1. respectu illorum, quibus debet esse *lumen* ad salutem, secundum illud 2. Cor. 4. v. 3. *Si tectum est Euangelium nostrum, iis qui pereunt tectum est*. Vnde necessario sequitur, illis quibus non est pereundum, Euangelium non sit tectum sed clarum, vt dicit Petrus 2. Pet. 1. v. 19. *Recte facitis quod attendatis sermoni prophetico, veluti lucernæ splendenti in loco obscuro*. Psal. 19. v. 15. *Verbum*

Dei

Dei est lucidum. Psal.119. *Verbum Dei est lucerna pedibus meis.* 2. Scriptura est clara in *articulis fidei* (vt ante diximus) ad salutem necessariis. 3. Scriptura est clara vt *instrumentum*, quod ei competit ex duce principali qui est Spiritus Sanctus verus ille doctor & interpres Scripturæ. Ioh. 14.v.26. *Aduocatus ille Spiritus Sanctus docebit vos omnia.* 1.Ioh.2.v.27. *Vnctio* id est Spiritus Sanctus *docet nos de omnibus.* It. Ioh.16.v.13. *Cum venerit ille Spiritus veritatis introducet vos in omnem veritatem.* Denique est clara, si *conuenientibus modis* tractetur, & locus per locum explicetur, secundum regulas explicationis legittimæ, quas vide pag.210. Syst. Theolog. Si quis ergo quęrat, quis habet ius interpretandi Scripturas. An *Papa Romanus*? Resp. Optimus interpres verborum est quisq; suorum. Cum ergo scriptura sit verbum Dei & Spiritus Sancti, non vero Papæ Romani, ideo *Spiritus Sanctus* habet autoritatem interpretandi scripturas, tanquam verus ille aduocatus & Doctor veritatis. Cur vero Pontifex Romanus vendicat sibi ius interpretandi Scripturas? Resp. Quia sibi est malè conscius, & non

audet ſua dogmata verbo Dei ſeu Scripturæ rectè intellectæ ſubmittere, ideò vult Sacram Scripturam pro ſuo arbitrio detorquere. De qua re notentur verba cuiuſdam Apoſtatæ Pontificii, qui nunc Romæ eſt apud Papam *Caſpari Schoppii*, qui in Epiſtola de ſua ad Pontificios defectione Ingolſtadii ante annos 6. edita pag. 24. ſic inquit: *Summa inter Catholicos & Lutheranos omnis, in his duobus verſatur: quod præter Sacras literas, Apoſtolorum & Eccleſiæ traditiones creditu neceſſariæ; & ipſæ ſacræ literæ à nemine niſi ipſa Catholica Romana Eccleſia cum autoritate vera explicari poſſint aut debeant. Quæ duo ſi quis ſibi perſuaderi patiatur, is profecto in cæteris fidei capitibus Romanæ Eccleſiæ facile adhærebit. Quodſi enim mihi cum Hæreticis de certo fidei articulo ſit diſputandum, neceſſe eſt vt de mea ſententia in Biblijs aliquid ſit expreſſum, vel vt nihil plane ibi reperiatur; ſi nihil ſit expreſſum, ſtatim dico, ſic ab Apoſtolis in Romana Eccleſia traditum obſeruari, Si vero aliquid in illis hac de re extet, Hæreticus vero aliter interpretari velit, ſtatim oppono Eccleſiam Romanam ſic interpretatam eſſe, adeoque omnis diſputatio ad hæc duo reuocari debet.*

bet. Hæc ille. Hoc nimirum illud eſt quod *Papa Romanus* quærit, vt poſſit pro ſuo libitu ſcripturam torquere, & perinde, ac ſiquis cum alio, gladio velit decertare, ſed hac conditione vt ſibi liceat gladium aduerſarii regere quo velit. Sic perinde eſt, ſi quis velit coram iudice litem habere ſecundum leges, ſed hac cõditione, vt ſibi leges liceat interpretari pro ſua parte. Perinde facit Papa: dicit enim: Ego vobiſcum diſputabo ex S. Scriptura; ſed ita vt liceat mihi pro me ſcripturam interpretari. Obſeruetur hoc quoque ſi Pontificius quærat: quis ſit *iudex controuerſiarum fidei?* Reſp. Iudicem ſummum cõtrouerſiarum fidei eſſe illum, qui & *fidei & Scripturæ autor* eſt, nempe Spiritum Sanctum: ſecundum illud Ioh. 16. *Cum venerit paracletus ille arguet; iudicabit mundum de peccato*: Legem autem & ſententiam eſſe iudicis ſolam S. Scripturam, ſecundam quam de controuerſiis fidei iudicandum ſit, prout manifeſtiſſimè dicitur Ioan 15. *Eſt qui accuſat vos Moſes* i. e. Scriptura Moſis, quæ ſententiam in vos pronunciat; & adhuc manifeſtius Ioh. 18. v. 48. *Qui reii-*

cit nec recipit verba mea, habet qui iudicet eum; sermo, quem locutus sum vobis, iudicabit illum. Falsum ergo est, quod Papa Romanus dicit, se esse summum iudicem controuersiarum. Non enim est iudex, sed reus qui accusatur deprauati & falsificati verbi diuini.

Audiui quantum satis est de notitia Prima Religionis Christianæ, siue de principiis Theologicis: nempe de Deo & verbo DEI, iam cupio erudiri de notitia orta id est ipsis partibus Doctrinæ cælestis, quæ fluit ex doctrina De Deo & sacris literis.

Rectè mones & rectè intellexisti methodum ac processum, quem obseruare debes in intelligenda doctrina religionis, itaque posthac te erudiam de ipsis *partib. Theologiæ*, siue religionis Christianæ.

Quot partibus constat Notitia Orta?

Duabus: quarum prior est de *fine* ipso; poste-

posterior de *mediis* ad istum finem ducentibus.

Quis est finis Theologiæ?

Salus seu *vita æterna*.

Quotupliciter consideratur salus hominis?

Dupliciter: vel vt *perfecta*, vel vt *inchoata*, seu vel respectu secuturæ vitæ vel respectu huius vitæ.

Quid est salus Perfecta & æterna?

Hæc consistit in tribus. 1. In summa animi & corporis *perfectione*. 2. In ineffabili *gaudio* quo sumus exultaturi coram Deo, & Sanctis Angelis, & hominibus piis. 3. In eminentissima *maiestate, gloria, honore*, quo triumphabimus de morte, Sathana, peccato, & hominibus impiis. Et hoc est quod Petrus dicit. 2. Pet. 1. v. 4. *Efficiemur* (inquit) *consortes diuinæ naturæ, diuinæ perfectionis, lætitiæ & gloriæ*. Et Phil. 3. v. 21. Christus *transformabit corpus nostrum humile, vt fiat conforme glorioso corpori Christi*. Esai. 64. v. 4. 1. Cor. 2. v. 9. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in mentem hominis venerunt quæ parauit Deus iis, qui ipsum diligunt*.

Quid est Salus Inchoata?

Est gustus quidam æternæ salutis siuè *consolatio & læticia conscientiæ*, quam in hac vita habemus & percipimus ex remissione peccatorum, & ex fiducia illa erga Deum, quem scimus nobis recõciliatum esse à Christo, ita vt ab ipsius dilectione nulla calamitas nos possit separare, nequidem ipsa mors, aut anxietas, quæ in hora mortis solet nos occupare. De qua Apostolus ait Rom 5.v.1. *Iustificati ergo fide pacem habemus.i.e.* conscientiam lætam, in media calamitate & morte. Rom.8.v.35. *Quis nos separabit à dilectione Christi? num oppressio, num angustia?*

Vidi quis sit finis quem debeam expectare ex doctrina cœlesti, qui quidem quantò est optabilior, tanto magis desidero cognoscere media per quæ possem peruenire ad hunc finem?

Media per quæ possis peruenire ad optatissimum hunc finẽ sunt duo. 1. Miseriæ *cognitio.* 2. *redemptio* ex hac miseria.

PRIOR PARS DOCTRINÆ COELESTIS NEMPE DE morbis animæ.

Quomodo rectè agnoſcam miſeriam meam ſeu morbos animæ?

Si iſta quatuor recte conſideraueris. 1. *Antecedens* tuæ miſeriæ, 2. *Cauſam efficientem* eiuſdem, 3. *Partes*, 4. *Cauſam exemplarem* ſeu ſpeculum in quo repræſentatur tua miſeria.

Quod eſt antecedens miſeriæ humanæ?

Felicitas ſeu beatitudo illa in qua homo fuit ante lapſum conſtitutus, ſiue *imago Dei* quæ fuit in homine.

Quid eſt imago Dei in homine, ſeu quid erat olim?

Nihil aliud erat quam perfectus ille ſtatus ante lapſum conſiſtens in *perfectione intellectus & voluntatis* humanæ, ac deinde in *Maieſtate* hominis, qua eminebat ſupra reliquas omnes creaturas, ſiue vt adhuc magis perſpicue dicam: imago Dei in homine erat tum prima, tũ orta. Prima imago fuit tum in animo tũ

in corpore. In corpore erat summa *sanitas & incolumitas*: in animo, erat *intellectus* sine errore, *voluntas* sine vitio. Orta imago erat *Maiestas & lætitia* hominis redundans ex corporis & animæ perfectione, de qua loquitur Scriptura Gen. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem nostram, ad similitudinem nostram.* Eph. 4. v. 24. imaginem Dei Paulus dicit omnem veram iustitiam & sanctitatem. Huc pertinet tota doctrina de statu hominis ante lapsum, deque eius vita in paradiso, de qua legi debet Genes. 1. vers. 27. 28. 29. & totum caput secundum eiusdem libri.

Quæ est causa miseriæ humanæ?

Lapsus primorum parentum, seu *defectio* Adami & Euæ à Deo, in primo isto statu integritatis, quæ facta est per esum pomi prohibiti.

Quid lapsus Adami & Euæ ad nos, siquidem nos tum nondum fuimus?

Adamus & Eua repræsentabant totũ genus humanum, & ideo pro *toto genere humano* accipiebant felicitatem & imaginem

ginem diuinam: quoniam ergo id quod pro toto genere humano acceperũt, ſua culpa perdiderunt, non tantum pro ſe perdiderũt, ſed etiam pro ſua tota poſteritate: vt ſi rex aliquis det alicui priuilegium pro ſe & ſua poſteritate, tũ ſi is qui iſta priuilegia accepit commiſerit crimẽ læſæ Maieſtatis, ſanè iſta priuilegia quæ accepit, amittit non tantum ſibi, ſed & ſuæ poſteritati.

An ergo tam magna res fuit mordere pomum & de eo comedere?

Eſus ipſe pomi grauiſſimum ſcelus fuit, nõ ratione pomi ipſius, cuius iactura leuis erat, multa enim poma erant in paradiſo, ſed quia iſte eſus fluebat ex horribilium peccatorum fonte, nempe ex *ſuperbia*, quâ homo affectauit thronum & maieſtatem DEI, atque ita commiſit crimen læſæ Maieſtatis Diuinæ, ſicut DEVS ipſi exprobrat per ironiam Geneſ. tertio. *Ecce Adam factus eſt quaſi vnus ex nobis*, id eſt, factus eſt quaſi quędam perſona Sanctæ Trinitatis. Alterum peccatum eſt *incredulitas*, quod non

crederent primi parentes num verum esse illud, quod Deus dixerat, *quocumque die comederitis morte moriemini*: Sed contra potius credebant Sathanæ, per serpentem tanquam fistulam dicenti: *Nequaquam moriemini*, & ita plus illi quam Deo crediderunt. Tertium peccatum est *Contumelia & inobedientia*, Nam Deo est obediendum in omnibus mandatis etiam in iis, quæ nobis videntur esse parui momenti. Quartum peccatum est *ingratitudo*: Erat enim homo conditus ad imaginem Dei, ideo debebat ei præstare pro isto beneficio hanc gratitudinem, vt mandatis eius obtemperaret. Quintum ac grauissimum peccatum erat, manifesta *defectio* à Deo ad Diabolum, cum nimirum homo, consilio & ope Diaboli, vult consequi conformitatem cum Deo, atq; ita veluti cum Diabolo conspirauit aduersus Deum.

Audiui etiam de Causa miseriæ & morborum animæ nostræ, dic porro quæ sunt partes miseriæ nostræ?

Dux. *Peccatum, & pæna Peccati.* Nam in his

in his duobus consistit miseria nostra. 1. Quod simus peccatores. 2. Quod propter peccata simus obnoxii pœnis temporalibus & æternis.

Quid est Peccatum?

Est *aberratio à Regula* perfectionis & iustitiæ, quam Deus à nobis requirit. Vel, Est quod pugnat cum lege diuina.

Quotuplex est Peccatum?

Duplex. *Originale* & *Actuale.*

Quid est peccatum originale?

Est *corruptio* naturæ humanæ, intellectus & voluntatis humanæ, per quam homo statim à prima natiuitate sua fertur & rapitur ad vitiosos actus. De hoc peccato loquitur Scriptura Genes. 6. v. 5. *Figmentum & cogitationes cordis humani tantummodo mala sunt omni tempore.* Psal. 51. v. 7. *In iniquitate formatus & conceptus sum, & in peccato peperit me mater mea* id est peccatum meum conceptum & natum est. Rom. 5. v. 12. *Per vnum, peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors.* Itē: *per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi.*

Quid est Peccatum Actuale?

Est irrectitudo seu *vitiositas*, per quam hominis actiones & opera feruntur contra legem diuinam: seu cum homo non tantum inclinatione & propensione sed etiam ipso opere contra voluntatem diuinam delinquit.

Audiui de priore parte miseriæ humanæ nempe de Peccato: Quæ est altera pars miseriæ humanæ?

POENA PECCATI.

Quotuplex est Pœna Peccati?

Duplex. *Temporaria* & *Æterna*.

Quid est Pœna Temporaria?

Est hominis *miseria* quam homo in vita hac sustinet, vt paupertas, ignominia, morbi, & ad extremũ ipsa mors quæ vocatur *stipendium peccati*, Rom. 6.

Quid est Pœna æterna?

Est ineffabilis illa *tristitia*, *cruciatus*, *ignominia*, quam in æternum sustinebunt damnati in inferno cum Diabolo & angelis eius.

Intel-

Intellexi iam de partibus miseriæ humanæ, dic etiam quæ sit causa exemplaris in quâ tanquã speculo cognoscere possim miseriam meam?

Speculum in quo possimus dignoscere miseriam nostram est *legis diuinæ rigor* summus, tum in exigenda iustitia, quam præstare non possumus, tum in comminandis horribilib. pœnis quas sustinere oportet, qui legi diuinæ nõ satisfaciunt, vel per seipsos vel per alium.

Unde cognoscitur rigor ille legis diuinæ?

1. Ex singulis *præceptis Decalogi*, quorum nullum nos in hac vita possumus præstare perfecte, & quorum summa continetur in his verbis quæ extãt Mat. 22. Luc. 10. *Diliges Dominum Deum tuum.* &c. 2. ex *grauissimis comminationibus* ad hæc præcepta additis: *Maledictus omnis qui non permanserit* &c. Deut. 27. v. 26. Galat. 3. v. 10. Hæc igitur summa est miseria nostra, quod Legi diuinæ satisfacere non possimus, cum non simus ido-

nei ex nobis ipsis vt quicquam boni cogitemus. 2. Cor.3.v.5.atque adeo quod secundum vocem Dei oporteat nos esse maledictos tum in hac tum in futura vita, nisi ex magna Dei misericordia consequamur *redemptionem & remissionem peccatorum*, quæ est alterum & quidem præcipuum *remedium*, quod nobis doctrina cælestis proponit & de quo posthac tractabimus.

SECVNDA PARS DOCTRINÆ COELESTIS DE LIBERATIONE hominis à miseria id est peccato & pœna peccati.

Agnoui miseriam meam, nunc autem volo scire quomodo ab hac miseria possim liberari, siue quodnam sit remedium contra hos animæ morbos?

Remedium duplex est: vel *Primum* vel *Ortum* à primo.

Quodnam est Primum?

Est gratuita *prædestinatio* & *electio*, quâ Deus

Deus ab æterno decreuit certos quoſdã homines per filium ſuum redimere & in æternum ſeruare. De quo teſtantur hæc Scripturæ dicta Eph.2.v.4.& 5. *Elegit nos in Chriſto antequam iacerentur fundamenta mundi: Prædeſtinauit nos quos adoptaret in filios per Ieſum Chriſtum pro beneuolo affectu voluntatis ſuæ* Rom.1.v.3. *Quos prædeſtinauit, hos etiam vocauit Rom 9. Miſerebor cuius miſertus fuero, igitur non eſt eius electio, qui vult, nec eius qui currit, ſed eius qui miſeretur Deus.* v.15.16. Act.13.v.4.5. *Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam* Mat.20. v.16. *Multi ſunt vocati, pauci vero electi.*

Audiui de remedio miſeriæ primo, nempe de electione ad vitam æternam: dic mihi quod eſt remedium ortum à primo?

Triplex eſt remedium.1.*Redemptio.2. iuſtificatio.3.Sanctificatio.*

Quid eſt Redemptio?

Eſt *liberatio* noſtri à peccato & pœna peccati, ſacta per Chriſtum Ieſum filium Dei redemptorem.

Quot ſunt conſideranda circa redemptionem?

Duo. 1. *Cauſa Efficiens* redemptionis. 2. *Obiectum* ad quod pertinet redemptio.

Quis eſt redemptor noſter?

Ieſus Chriſtus, hic enim factus eſt nobis ſapientia à Deo, iuſtitia, ſanctificatio & redemptio. 1. Cor. 1. v. 3. 1. Tim. 3. v. 16. *Vnus eſt mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus.*

Quot ſunt conſideranda in Chriſto redemptore?

Duo. *Perſona* & *officium eius.*

Quot ſunt conſideranda in perſona Chriſti?

Duo. *Partes* nempe & *earum vnio.*

Quot partibus conſtat perſona Chriſti?

Duabus: *Naturâ diuinâ* & *humanâ.* Probatur autem conſtare Chriſtum duabus naturis, quia eſt verus Deus & verus homo: Quod ſit verus Deus ſupra probauimus, cum oſtenderemus Filium eſſe DEVM. Et ſane quod præter naturam humanam etiam alia natura ſit

ſit in filio Dei, duobus manifeſtis argumentis probatur: quorum prius eſt: *In qua perſona fit diſtinctio & limitatio, ita vt aliud ei tribuatur ſecundum vnam aliud ſecundum alteram partem, in ea perſona neceſſariò ſunt duæ naturæ.* At *in Perſona Chriſti fit talis limitatio.* Ergo. *Minor* prob. Rom. 1. v. 3. vbi dicit Apoſtolus: *Filius Dei eſt factus ſemen Dauidis ſecundum carnem*, vnde neceſſariò ſequitur, aliudquid eſſe in Chriſto, quam carnẽ. Nam cum dico. Hominem eſſe immortalem ſecundum animam, neceſſario ſequitur in homine eſſe aliud quid, quam animam ſolam. Omnis enim limitatio infert diuerſitatem in eo quod limitatur. Alterum: *Cui multa tribuuntur, quæ nulla ratione poſſunt competere humanæ naturæ, in illo neceſſe eſt eſſe aliam naturam ſeu Eſſentiam diuerſam à natura humana.* At *Chriſto multa tribuuntur*, &c. Ergo. *Maior* prob. Ioh. 8. v. 91. vbi dicit Ieſus: *Amen, amen dico vobis, priuſquam Abraham exiſteret ego ſum.* Hoc nulla ratione intelligi poteſt de humana natura, quia Chriſtus duobus millibus annorum natus eſt poſt Abraham. Quod Samoſateni hîc nugantur, priuſquam A-

braham esset, scilicet pater credentium, ego sum, id penitus pugnat cum toto textu, & nihil faceret ad scopum Christi, qui debet respondere ad obiectionem Iudæorũ dicentium ver. præced. *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti.* Qualis enim fieret ista responsio, si diceret? Priusquam Abraham fuit pater credentium ego sum. Nam ista responsio perinde foret ridicula, vt si quis ad me dicat. Quadraginta annos nondum habes & vidisti Sigismundum regẽ Poloniæ, &ego respondeam: priusquam meus filius generabit filium, & erit pater, ego sum. An non omnes riderent talem responsionem datam ad hanc quæstionem? Quod autem Christus sit homo, non eget probatione, quia omnes concedunt.

Cur sola humana natura Christi non dicitur Persona, sicut nos singuli sumus Personæ?

Etsi humana Christi natura constet ex anima & corpore, prout nos constamus, tamen *non potest separatim subsistere,* extra copulationem cum diuina natura, sicuti

ſicuti quidem nos ſubſiſtimus ſeparatim, alioqui in cœteris ſimilis eſt nobis excepto ſolo peccato, ſicut Scriptura teſtatur Heb. 2. v. 14. *Quoniam igitur pueri participes ſunt ſanguinis & carnis, ipſe quoque Chriſtus ſimiliter factus eſt particeps eorum.* Et v. 16. *Non Angelos aſſumpſit ſed ſemen Abrahæ, vnde debuit fieri omnibus fratribus ſimilis ſubſtantiâ,* nempe quoad animam & corpus. Quod notetur contra *vbiquetarios*, qui aliam effingunt ſubſtantiam humanam, quam nos habemus, nempe talem, quę vno eodemque momento temporis, ſit vbique in omnibus locis cœli & terræ, atq; ita confundunt diuinam naturam cum humana.

Audiui de Partibus Perſonæ Chriſti, dic mihi quid eſt vnio iſtarum duodecim partium in perſona Chriſti?

Eſt indiſſolubilis copula, quâ natura humana diuinæ, diuina humanæ tam arctè copulata eſt, vt ex iſtis duabus conſtituatur *vna perſona, &* vt iſtæ naturæ in æternum à ſe inuicem non poſſint ſeparari.

Quot consideranda sunt in hac vnione?

Duo. *Causa* nempe vnionis in Christo duarum naturarum, & eius *proprietates*.

Quæ est causa vnionis duarum naturarum in Christo?

Est *conceptio* humanæ naturæ in vtero virginis Mariæ facta per Spiritum S. & deinde *natiuitas* & *incarnatio*, per quam nempe postquam in vtero virginis Mariæ natura humana cũ diuina arctissime cõiuncta fuit, Christus homo editus est in hanc lucẽ. Vide Syst. Theol. pag. 328.

Quot sunt proprietates huius vnionis?

Tres. 1. Quod sit *arctissima*. 2. quod sit *indissolubilis*. 3. Quod propter hanc vnionem ea quæ alterutri naturæ tantum competunt, *tribuantur toti personæ* propter alterutrã naturam vide Syst. Theolog. 320. pag.

Audiui de persona Christi, sequitur vt me erudias de officio Christi, & primo in genere exponas mihi: quomodo officium Christi generaliter vocatur?

Voca-

Vocatur *Mediatoris* officium.

Quid est Mediator?

Mediator in genere significat eum, qui *reconciliat* partem offendẽtem, cum parte offensa, quæ reconciliatio fit tribus hisce modis. 1. vt mediator *intercedat* pro eo qui offendit alterã partem offensam. 2. vt *satisfaciat* parti offensæ pro illata iniuria. 3. vt *promittat* & efficiat, ne pars offendens amplius offendat. Itaque cum dicitur, Christus est mediator, hoc dicitur, quod Christus sit persona quæ *reconciliauit* Deum, qui à genere humano per peccatum grauiter est offensus, quiq; *satisfecit* diuinæ iustitiæ per passionem & mortem suam, & *deprecatur* pro peccatoribus, iisque per fidem *applicat* suum meritum, eos *regenerat* per Spiritũ Sanctum vt incipiant in hac vita odisse peccatum & caueant ne Deum amplius offendant.

Quotuplex est officium Christi Mediatoris?

Triplex. *Propheticum*, *Sacerdotale*, & *Regium*, cuius respectu saluator noster dici-

tur Christus id est vnctus ad hoc triplex officium quia in V. T. ex mandato Dei vngebantur prophetæ, sacerdotes, & reges.

Quid est officium Christi Propheticum, & in quibus consistit?

Consistit in duobus. 1. *in munere docendi:* 2. *in doctrinæ efficacia*. Nam Christus *Propheta* dicitur. 1. quia *patefecit* Angelis & hominib. Deum & eius voluntatem; Deus enim nõ potuit aliter cognosci nisi per Filiũ, iuxta illud: *Filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis*. 2. Quia *instituit & conseruat ministerium Euangelii* in Ecclesia, & largitur Ecclesiæ idoneos doctores ac ministros, eosq; instruit donis ad docendum necessariis, Eph. 4. v. 3. *Christus alios Prophetas dedit, alios Apostolos & Doctores*. 3. Quia est *efficax per ministerium verbi*, & mouet corda hominum electorum ad credendum & obtemperãdum Euangelio. Luc. 24. v. 45. *Tunc aperuit mẽtem eorum vt intelligerent Scripturas* Act. 16. v. 14. *Dominus aperuit cor Lydiæ, vt attenderet ad ea quæ dicebantur à Paulo*.

Quid

Quid eſt munus Chriſti ſacerdotale & in quibus conſiſtit?

Conſiſtit in tribus. 1. In *expiatione* noſtrorum peccatorum. 2. in *efficacia* & applicatione iſtius expiationis. 3. in *interceſſione* pro nobis. Nam ſicut ſacerdos in V.T. habebat officium duplex. 1. Vt intercederet. 2. vt oraret pro populo: ita quoque officium Chriſti ſacerdotale in eo eſt poſitum. 1. vt *ſeipſum offerret* victimam æterno Patri pro peccatis noſtris. 2. vt *intercederet* pro nobis apud æternum patrem.

Quæ ſunt conſideranda in prima parte officii Chriſti ſacerdotalis, nempe in expiatione peccatorum?

Duo Nempe *Cauſa* per quam expiauit Chriſtus noſtra peccata, & *proprietas* iſtius expiationis.

Quotuplex eſt Cauſa per quam Chriſtus expiauit noſtra peccata?

Duplex: *Prima* & *orta* à prima.

Quæ eſt Cauſa prima?

Est *obedientia* Christi quâ se humiliauit & subiecit legi, vt nempe pro nobis satisfaceret, qui legem violauerimus, iuxta illud Rom. 5. v. 19. *Sicut per inobedientiam vnius hominis* nempe Adami, *peccatores constituti sunt multi, ita per vnius* nempe Christi *obedientiam iusti constituentur multi.*

Quæ est causa orta à prima?

Duplex. *Passio & mors* Christi.

Quotuplex fuit passio Christi?

Duplex. *Externa & Interna.*

Quid est Passio externa?

Est tùm *dolor* quem Christus pertulit in sanctissimo suo corpore, tum *ignominia* & dedecus, quod sustinuit.

Quæ fuit Passio interna?

Incredibilis *mæstitia & tristitia*, quam Christus sēsit in anima sua propter peccatum nostrum, de qua dicitur Mat. 26. v. 38. *Tristis est anima mea vsq; ad mortem:* vbi per mortem non intelligit tantum mortem corporalem, sed etiam æternam q. d. tam tristis est anima mea, quàm tristis est eorum qui in æternum debent damnari.

Quot

Quot fuerunt præcipui cruciatus in anima?

Duo.

Quis est prior?

Prior fuit in horto antequam captus esset & iudicio publico traditus. Ibi enim incipiebat sibi metuere à *derelictione & desertione* Dei, quem ita intuebatur tanquam peccatis generis humani horribiliter offensum, atq; adeò sibi horribiliter iratum, qui peccata totius mundi in se deriuasset.

Vnde cognoscis magnitudinem cruciatuum in anima Christi?

Ex duobus signis. 1. Quod Christus ibi *egebat consolatione & erectione Angeli*, ne deficeret territus horribili conspectu irati Dei. vide Luc. 22. v. 13. atque fuit inde quod ederet vocem: *Tristis est anima mea vsque ad mortem* nempe æternam.

Quod est alterum signum horribilium cruciatuum in anima Christi?

Est *sudor sanguineus*: Hic enim est indicium, quod omnes vires naturales in

Christo conuulsæ & velut colligatæ fuerunt præ nimio cruciatu & terrore, ita quidem vt natura sanguinem amplius in venis fouere non potuerit, sed concretum expresserit & propulerit ad exteriora, cuius violentiæ & terroris immensi nullum exemplum simile in Historia vlla legitur.

Quæ est altera passio in anima Christi?

Est ea, quam paulò ante mortem expertus est in cruce cũ luctaretur cũ tentatione de *æterna abiectione* à facie Dei, ideò emisit miserabilem vocem hanc: *Deus mi, quare deseruisti me?* vbi desertionẽ per Metonymiam vocat horribilem tentationẽ, quâ solent illi cruciari, quos Deus à facie sua abiecit, ac plane deseruit. Huiusmodi enim tentationẽ oportuit sentire Christum, vt nos ab æterna damnatione liberaret.

Audiui de passione Christi dic etiam de morte eius?

Mors Christi est *separatio animæ à corpore* eius, quâ expiauit peccata nostra &

nos

nos ab æterna morte liberauit, idque etiam testabatur profusio illa sanguinis & aquæ ex latere Christi. De qua Ioh. 19. v. 34. *quidam* (inquit) *ex militibus latus eius fodit, & statim exiuit sanguis & aqua*, sanguine testabatur Christus peccata nostra expiata, per aquam testabatur nos à sordibus peccatorum ablutos esse.

Consequens est, vt me edoceas de proprietatibus & fructibus Passionis Christi, dic mihi ergo, quæ est prima proprietas Passionis Christi?

Hæc est: quod omnino fuerit *necessaria*, siquidem nulla ratione potuit liberari genus humanum, ab æterna morte, quam per mortem filii Dei, idque propterea, quia Deus summus & summè iust⁹ est & ideò nō remittit peccata sine satisfactione, cum per naturam odio habeat peccata, & ea nullo modo ferre possit. Nam summa iustitia non fert iniustitiam, sicut ignis non fert aquam. Vt dicitur Psal. 25. *Non es Deus volens iniquitatem.* Secundo id testantur manifesta di-

cta Scripturæ Rom. 8. verſ. 3. *Quod Legi erat impoſſibile, id fecit Deus miſſo filio*, id eſt, quod nullo alio modo potuit præſtari, id factum eſt morte filii Dei. Heb.2. v. 14. *Quoniam igitur pueri participes ſunt ſanguinis & carnis, ipſe quoque conſimiliter particeps factus eſt, vt aboleret per mortem eum qui mortis imperium habet*, id eſt, *Diabolum*. & v. ſeq. *& liberos redderet, quotquot metu mortis per omnem vitam obnoxii erant ſeruituti*, h. e. vt redimeret eos, qui alioqui per ęternam mortem erant perituri, niſi iſta redemptio per Chriſtum facta fuiſſet. Et ſane *ſi alia ratione potuiſſet ſatisfieri pro peccatis, potuiſſet id fieri vel per nos ipſos vel per creaturam aliam*. At *per nos ipſos fieri non potuit*. 1. Quia quicquid boni præſtamus, id iam antè DEO debemus, quod autem iam ante Deo debemus, id non eſt pretium redemptionis ſeu ſatisfactionis, ſed eſt debitum. 2. Quia nos debitum noſtrum in ſingulos dies augem⁹, ideo ſatisfacere & perſoluere nunquam poſſumus. Quod autem in dies augemus peccata noſtra, vide Ioh. 1. v. 1. Ioh. 15. v. 15. Pſ. 130. v. 3. Mat. 6. v. 12. Mat. 18. v. 25. 3. Quia peccatum eſt læſio & iniuria, atq;

adeo infinitum malum, ideò quoq; merebatur æternam pœnam vel æternæ æqualem, nos autem ex æterna pœna nũquam emergere possemus. *Nulla alia creatura pro nobis potuit satisfacere.* E.g. non *Angeli.* 1. quia quod homo peccauit, id iustitia Dei sic postulãte, homo debet luere, non vero vlla alia creatura, sicut dicitur Ezech. 18. v. 30. *Anima quæ peccauit ipsa morietur.* 2. Quia nulla creatura ne Angeli quidem emergere potuissent ex æterna pœna. Ex his sequitur, *eum qui debuit pro peccatis nostris iustitiæ Dei satisfacere oportuisse, esse verum Deum & verum hominem. Hominem* esse oportuit. 1. Quia homo peccauit, ideo oportebat eum luere qui esset homo, sic nẽpe requirente Dei iustitia, sicut dicitur Rom. 5. v. 22. *Sine sanguinis effusione nõ fit remissio peccatorum.* Quare vt sanguinem Christus effundere posset, ideo hominẽ esse oportuit. Verũ autem esse *Deum* oportuit. 1. Vt potentia suæ diuinitatis infinitã Dei iram aduersus peccatum generis humani posset sustinere, qua ira certo oppressus fuisset Christus, si fuisset nudus homo. Quia DEVS est ignis consumens Deutero.

4. v. 24. ideò tanquam homo petit à se auferri calicem passionis, tanquam quē non posset ferre vt homo: & tanquam homo clamat in cruce, *De⁹ cur me deseruisti.* 2. Oportuit eum qui pro peccatis nostris satisfacere debuisset esse verum Deum, vt eius passio & supplicium esset infiniti valoris, atq; vt æquiualeret æternæ damnationi. Nam quia peccatis nostris eramus meriti, non tantum temporalem pœnam, non quidem ratione durationis sed ratione valoris: id est, oportuit eius pœnam æquiualere æternæ pœnæ, siue habere proportionem cum æterna pœna. At verò nullius pœna potest æquiualere æternæ pœnæ, nisi eius qui ipse sit æternus, qui est verus Deus, vnde pie & recte dixerant Patres: Deum pati plus est quam omnes homines in æternum damnari. 3. Quia satisfactionem oportuit esse infiniti valoris, vt nempe sufficeret expiandis omnium hominum peccatis. Nemo autem potest præstare satisfactionem infiniti valoris, nisi ipse sit infinitus, scilicet Deus.

Quæ est altera proprietas Passionis Christi?

Quod sit vere *expiatoria* & *satisfactoria*, id est, quod propter Christi expiationẽ, remissa sunt peccata nostra; quod notetur. 1. Contra *Samosatenianos*, qui blasphemè aiunt Christi, *passionem esse exemplarem*, id est, Christum sua passione voluisse nobis exemplum dare, vt nos quoque obediamus Deo in omnibus, & crucem quam Deus nobis imponit patienter feramus, sicut patienter Christus tulit suã crucem. Hoc dogma quod præcipitat conscientias nostras in desperationem, non aliunde promanauit, quã ex negata Diuinitate filii Dei. Nam quia nemo pro peccatis nostris potuit satisfacere nisi esset Deus, sicut paulò ante quoque probauimus, Et verò Samosateani negant Christum esse verum Deum, ideò non poterant aliter docere, quàm Christi passionem non esse satisfactoriam sed tantùm exemplarem. His blasphemiis opponamus. 1. Diuinitatem Filii Dei supra euidentibus testimoniis confirmatam, quando viz. obtinuerimus, Chri-

ſtum qui pro nobis paſſus eſt eſſe Filium Dei, ſtatim etiam ſequitur eius paſſionẽ eſſe æterni valoris, & per conſequens eſſe ſatisfactoriam. II. Euidentiſſima teſtimonia Scripturæ. Eſa. 53. v. 4. *Verè dolores noſtris ipſe portauit*; & v. 5. *propter peccata noſtra dolore affectus eſt, & propter iniquitates noſtras attritus eſt*. Rom. 5. v. 9. *Iuſtificati ergo nunc ſanguine eius ſeruabimur*. 2. Cor. 5. v. 18. *Hæc omnia ſunt ex Deo, qui reconciliauit nos ſibi per Ieſum Chriſtum*, & v. 21. *Fecit vt qui non nouit peccatum, pro nobis eſſet peccatum*. 1. Tim. 2. v. 5. & 6. *Vnus eſt Deus, vnus mediator Dei & hominum Homo Ieſus Chriſtus, qui ſeipſum dedit redemptionis pretium*, aliud autem eſt exemplum, aliud pretium. Gal. 2. v. 20. *Tradidit filius Dei ſemetipſum pro me. Nam ſi per legem eſt iuſtitia, tum Chriſtus ſine culpa mortuus eſt* quaſi dicat Chriſtus in eum finem mortuus eſt, vt ſua morte nobis conferret iuſtitiam, id eſt, ſatisfactionem pro peccatis ſed valde manifeſtus locus eſt. Gal. 3. v. 13. *Chriſtus nos redemit ab execratione legis dum pro nobis factus eſt execratio. Scriptum eſt enim execrabilis qui pendet in ligno*. 1. Ioh. 1. v. 7. *Sanguis Ieſu Chriſti filii Dei purgat*

gat nos ab omni peccato. 1. Ioh. 2. v. 2. *ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Hęc sunt manifestissima Scripturæ testimonia, quib. addi potest istud argumentum. *Si Christi passio fuisset exemplaris, vtique Christus non clamasset, Deus mi cur me deseruisti*: nam ista verba non dant nobis exemplum quod debeamus imitari, cũ cõtrariũ poti⁹ debeamus facere, & esse optima fiducia erga Deum, & nunquam existimare aut clamare nos à Deo esse desertos: sicut dicitur Rom. 8. v. 15. nos debere *clamare, Abba Pater*, in te acquiescit mens mea. Item. *Si passio Christi est exemplaris, quomodo patres saluati sunt*, qui ante Christum fuerunt, & ita eius exempla non habuerunt? Item quomodo *latro* qui non potuit etiã eum imitari, cum æque iam esset crucifixus antequam conuerteretur. 2. Notetur ista proprietas passionis Christi, contra omnes qui tribuunt expiationẽ peccatorum, & meritum remissionis, *operibus*. Nam si nõ est remissio peccatorum, nisi per effusionem sanguinis, vt ante ostendimus, opera vero etiam sanctissima non effundunt sanguinem, vtiq; per opera non est expiatio seu remissio peccatorum.

Quæ est tertia proprietas passionis Christi?

Quod sit *sufficientissima* nec opus habeamus vlla expiatione. Quod probatur Heb. 9, v. 26. *Nunc semel in consummatione seculorum ad abolendum peccatum, per immolationem sui ipsius patefactus est*, & v. 28. *Christus semel oblatus est, vt aboleret multorum peccata*: Et euidentius est. Heb. 10. v. 12. *Hic in perpetuum oblata victima consedit ad dextram Patris* & v. 14. Vnica oblatione, id est, oblatione quæ vnica est plenissima & sufficientissima. Quod vero dicitur. Colos. 1. v. 24. *Reliquias passionis Christi expleo in carne mea*, id non intelligendum est ita, quasi Christi passio non sit sufficiens & egeat supplemento; sed vocat ibi passiones Christi per *Synecdochen* eas omnes, quas oportet sustinere membra Christi, q. d. oportet me quoq; sentire istas afflictiones, quas Christus debet sentire in membris suis : sicut expressè addit : *reliquias passionis Christi expleo in carne mea*, pro corpore Christi quod est Ecclesia, vt indicet se non loqui de passione quam Christus pro peccatis nostris

nostris sustinuit, sed de cruce & afflictionibus, quas in his terris debet sustinere Ecclesia, quæ est corpus Christi *metaphoricè* loquendo. Atque hoc de sufficientia passionis Christi iterum notetur contra *Pontificios*, qui docent partem aliquam expiari per *opera bona*, quod infra refutabitur in doctrina de Iustificatione, partim per *Missam* quod infra refutabitur de Cœna Domini, partim per *purgatorium*, quod dicunt esse ignem in qua animæ temporalibus cruciatibus post hanc vitam torquentur, & purgantur à peccatis & ex quo animæ viuorum suffragio & precibus possint liberari: vt dicit Concil. Trident. sess. 5. Contra quod notentur hæc argumenta. 1. *In tota Scriptura, nullum extat testimonium de purgatorio, nec etiam exemplum vllum de aliquo qui fuerit in purgatorii igne. Ergo est merum figmentum.* Citant locum. 1. Cor. 8. v. 13. vbi dicitur: *Per ignem retegetur, & cuiusque opus quale sit probabitur*: sed inepte hoc ad purgatoriũ accommodatur. Loquitur enim Apost. *de ædificatione Ecclesiæ* & dicit fore vt quantum quisq; ad ædificationẽ Ecclesiæ attulerit, probetur examine verbi diuini

& S.Sancti quæ duo vocat ignem *Metaphorice*, quod v.15. additur: *ipse seruabitur sed tanquam per ignem* manet in Metaphora & similitudine. Et dicit istos qui non rectè ædificant non statim omnes damnatum iri in æternum, sed toleraturos examen in sua conscientia, quod non satis fideliter fecerint officium. 2. notentur duo manifesta dicta Scripturæ, vbi tantum duo loci nominantur qui futuri sunt in altero seculo nempe *beatorum* & in æternum *damnatorum*. Mar. vlt. Ioh. 5. *Amen, amen dico vobis, qui sermonem meum audierit & crediderit in eum, qui misit me in iudicium* (& per consequens in *purgatorium* quod est pars iudicii) *non veniet, sed transibit à morte ad vitam*. Apoc. 4. v. 14. *Beati ex nunc mortui qui in Domino moriuntur. Ex nunc*, id est, ab eo momento quo moriuntur. Manifestus est quoque locus. Luc. vers. 3. vers. 43. vbi dicit ad latronem: *Hodie mecum eris in paradiso*, qui tamen maxime videbatur egere purgatorio.

Audiui

Audiui satis de prima parte Sacerdotalis Officii Christi, nempe de expiatione peccatorum nostrorum, dic quæ est altera pars Sacerdotalis eius officii?

Est *efficax applicatio* per quam Christus hanc expiationem à se præstitam efficaciter applicat credentibus, ita vt per eam consequantur *remissionem peccatorum & reconciliationem ac pacem.*

Quæ est tertia pars officii Christi?

Est *intercessio* pro nobis.

Quid intelligis per intercessionem?

Non intelligo precatione aliquā aut implorationem, quâ Christus gratiam Dei velit nobis reconciliare sicut homo dicitur pro homine intercedere vt ei aliquid impetret. Sed intelligo. 1. *valorem sacrificii CHRISTI perpetuum*, cum nempe CHRISTVS passionem suam pro nobis præstitam, repræsentat æterno Patri. 2. *Assensum Patris*

acquieſcentis in hac paſſione Chriſti, & volentis vt hæc paſſio Chriſti pro nobis, valeat in æternum.

Quod eſt Tertium officium Chriſti?

Eſt *officium regium*: nam non tantum Propheta & ſacerdos nobis eſt Chriſtus, ſed etiam Rex.

In quibus partibus conſiſtit regium Chriſti officium?

In quatuor. 1. Quod *regat Eccleſiam Spiritu & verbo ſuo*, & quod non tantum verbo ſuo declarat quid nobis faciendum ſit, ſed etiam per Spiritum Sanctum efficiat in nobis vt ea præſtare poſſimus. 2. Quod nos *defendat contra hoſtes* Sathanam, peccatum, mortem, vt non poſſint nocere noſtræ ſaluti. 3. Quod *Eccleſiam ornet egregiis donis* & conſtituat miniſterium verbi, ac faciat, vt huic miniſterio homines obediant. 4. Quod ſub finem mundi *apparebit iudex* omnium hominum, & impios æternis pœnis adiudicabit, pios verò æterna gloria condecorabit.

Intel-

Intellexi quid est officium Christi & quotuplex ſit: iam quoque doceas me, quod ſit obiectum, circa quod hoc ſuum officium Christus exercet?

Eſt Eccleſia.

Quotupliciter accipitur Eccleſia?

Dupliciter. *Late* & *ſtricte.*

Quid est Eccleſia late accepta?

Eſt multitudo ſeu cœtus iſtorum omnium hominum, *quibus annunciatur verbum Dei* in quo cætu multi ſunt hypocritę, qui verè non credunt, atq; adeò in æternum damnantur.

Quid eſt Eccleſia ſtrictè accepta?

Eſt cœtus ſeu multitudo hominum ad vitam æternam per fidem à Chriſto *electorum.* Et hic cœtus diſtingui ſolet in *militantem* & *triumphantem. Militans Eccleſia* vocatur ille cœtus electorum & piorum hominum, qui adhuc ſunt in terris. *Triumphans* vero vocatur ille cœtus fidelium qui ſunt in cœlis. Et ſic intelligitur

regula Patrum: *nunquam erit pars Ecclesiæ triumphantis, qui non fuerit pars Ecclesiæ militantis.* Cæterum quando Ecclesia diuiditur in *visibilem & inuisibilem*, non est diuisio propriè dicta, sed tantum diuersorum respectuum in Ecclesia. Nam Ecclesia dicitur *visibilis* respectu ipsorum hominum qui sunt in Ecclesia & possunt videri: *inuisibilis* respectu internorum donorum fidei nempe & aliorum donorum Spiritus Sancti, quæ per se non ita in sensus incurrunt. Quod notandum est contra *Pontificios*, qui volunt Ecclesiam esse *Pomposum cætum*, qui sensibus possit designari & externa Pompa cæremoniarum agnosci, sicut inquit Bellarminus. *Ecclesia tam est visibilis, quam Respub. Venetorum.* Contra, inquit saluator Luc. 17. vers. 20. *Regnum Dei non venit cum obseruatione*, vbi vt satis apparet ex contextu loquitur de Ecclesia in his terris, qnod nempe non sit futurus pomposus cœtus, qui nempe externis ceremoniis & obseruationibus possit deprehendi, aut solen-

lennitatibus, veſtitu Senatorum, Togatorum & aliis.

Quæ ſunt conſideranda circa Eccleſiam?

Solus *Chriſtus eſt caput Eccleſiæ* tam militantis quàm triumphantis, id quod probatur. 1. Manifeſtis Scripturæ teſtimoniis Eph. 1. verſ. 22. *Deus ſubiecit omnia pedibus Chriſti, eumque conſtituit caput ſuper omnia ipſi Eccleſiæ, quæ eſt corpus ipſius.* Et Eph. 4. verſ. 15. *Chriſtus eſt caput ex quo totum corpus congruenter coagmentatum & compactum eſt.* Col. 1. verſ. 18. *Chriſtus eſt caput corporis Eccleſiæ.* Coloſſ. 2. verſ. 19. ſimilis eſt locus. 2. Probatur ratione, quia *omne caput debet vim & virtutem viuificam infundere in omnia membra*, ſicut noſtrum caput in reliqua membra infundit Spiritum vitalem. *Solus autem Chriſtus poteſt infundere virtutem viuificam in membra.* Ergo. At vero dicunt *Pontificii*: Chriſtus quidem eſt caput Eccleſiæ, ſed inuiſibile, itaq; opus eſt alio capite viſibili & vicario Chriſti

in terris ac successore Petri Apostoli, nempe *Papa Rom.* Resp. In hoc dogmate Pontificiorum plurimos fœdos errores contineri. 1. Error est, quod Christus opus habeat vicario in terris, cui opponimus hæc argumenta. I. *vicarius datur propter imbecillitatem regentis*, nam reges ideò habent vicarios, quia sunt homines imbecilles, nec possunt per seipsos administrare. *Christus autem est omnipotens Rex*. II. *Is eget vicario qui non vbique potest subditis suis semper adesse*. At *Christus semper vbique adest suis membris*, sicut dicit. Mat. 28. *Ego sum vobiscum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi*. & Mat. 18. *Vbicumque sunt duo vel tres congregati in nomine meo ibi sum in medio ipsorum*, id est, immediate ipsis adsum, vt Hebraica phrasis docet. 2. Error est, quod putant pium esse vnum aliquem hominem, & quidem Episcopum seu ministrum Ecclesiæ, tribuere sibi hanc potestatem quod sit *vniuersale caput* & gubernator totius Ecclesiæ: cui opponimus hæc argumenta. 1. Quia Christus diserte prohibet primatum in Ecclesia. Mat. 20. Luc. 22. 2. Quia ipsi Apostoli partiti sunt inter se Apostolatum,

ſtolatum, quod viderent vnum Apoſtolum non poſſe præeſſe omnibus Eccleſiis, ſicut teſtatur Scriptura Gal. 2. v. 7. 8. 9. vbi inquit Paulus. *Cum vidiſſent mihi concreditum eſſe Euangelium præputii, ſicut & Petro circumciſionis, cumque cognouiſſent gratiam mihi datam eſſe, Iacobus, Cephas & Ioannes, qui videbantur eſſe columnæ, dextras ſocietatis dederunt mihi ac Barnabæ, vt nos apud gentes, ipſi vero apud Iudæos Apoſtolatu fungerentur.* 3. *Moſes* qui longe maior vir fuit quam Papa, non potuit ſuſtinere onus iudicandi populum Iſraeliticum, ſed coactus eſt illud partiri, vt eſt Exod. 18. Ergo multo minus *Papa* poterit Eccleſiam gubernare. 3. Error quod fingunt *Petrum* fuiſſe caput Eccleſiæ, cum tamen id. 1. diſerte prohibeat Chriſtus Petro & aliis Apoſtolis, ne ſe vendicent pro capitibus. 2. Cum ad Gal. 2. v. 7. diſerte dicat Paulus, *Iacobus, Petrus, & Ioannes, exiſtimabantur columnæ,* id eſt, errore quodam habebantur, pro talibus vt nempe poſſent eo nomine ad Galatas decipiendos abuti. Obiiciunt locum Mat. 16. *Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Reſp. Hic non

dicit super se Petrum ædificabo Ecclesiam meam, sed hunc esse scopum verborum Christi, nempe vt laudet *Petri confessionem* & hanc laudem exornet Paronomasia seu allusione ad nomen Petri (quasi dicat recte tibi imposui nomen Petri. Vide cap. 1. Ioh. vbi Christus Petro hoc nomen dat) quia nomine aliorum Apostolorum edidisti talem confessionem, siue doctrinam tanquam super petram ædificabitur Ecclesia mea. 1. Itaque Christus Petrum laudat, & in persona Petri omnes Apostolos, quod Christum crederent & confiterentur esse filium Dei. 2. Enumerat istius *confessionis vtilitatem & fructum*, quod nempe hæc doctrina & confessio sit futura fundamentum super quod Ecclesia DEI ædificetur, ita vt nunquam euertatur à Sathana. Alias quod Petrus ista verba nunquam intellexerit de seipso, quasi sit ille lapis, super quem ædificatur Ecclesia, id ipse aperte profitetur. 1. Pet. 2. vers. 4. vbi Christum dicit esse illum lapidem super quem ædificanda sit Ecclesia. IV. Quod illud velut firmum vendicent *Petrum fuisse E-*
piscopum

piscopum Romanum,atque adeo fuisse Romæ.Cum tamen hoc incertum sit & firmiter non possit probari Petrum vnquã fuisse Romæ,quin contrarium probabilius eluceat Petrum nunquam venisse Romam.Nam.1.ille locus quem ante citauimus Gal. 2. memorabilis est, quod nempe Paulus datis dextris cum Petro ita partitus est Apostolatum , vt Paulus iret ad gentes conuertendas, Petrus vero laboraret in Iudæis conuertendis. Hanc fidem dextrâ datâ Petrus violasset si iuisset Romam ad gentes conuertendas. Nec legimus duos Apostolos in eandem vrbem iuisse præsertim tam remotam ad prædicandum Euangelium. Cum ergo omnium confessione constet Paulum prædicasse Euangelium Romæ , quid opus fuisset Petrum venire præsertim eodem tempore , sicut dicunt Pontificii, quod fuerint tempore Neronis Romæ.2.Ex vltimo capite. 2. ad Timoth. vers. 16.*In prima defensione mea* inquit Paulus, *quando sistebar Neroni nemo mihi adfuit , sed omnes me deseruerunt , vtinam illis non imputetur.* Quod si Petrus tum fuisset Episco-

pus Romanus vt Pontificii volunt, quã turpe fuisset & indignum Episcopo deserere fratrem & collegam suum. Bellarm. dicit Petrum tum temporis abiisse ad visendas Ecclesias. Resp. Non debebat abiisse tum temporis, quando *assistendum erat fratri*, sed debebat visitationem differre ad aliud tempus, quod fecisset, si Romæ fuisset. Deinde dico id Bellarminum *fingere*, quia id nec ex Sacra Scriptura nec ex Historico quopiam probat, sed ex sua tantum opinione loquitur. 3. Ex *circumstantia temporis*. Dicunt enim Petrum.25.annis Romæ fuisse &.7.annis Antiochiæ, sunt itaque anni.32. & tamen dicunt Petrum Romæ sub Nerone fuisse crucifixum, anno autem. 2.Claudii imperatoris Romam venisse. At Claudius regnauit annis.13.Nero etiam.13. itaque vtriusque imperium durauit tantum annis.26. quomodo ergo Petrus.2. anno Claudii venit &.27. annis Romæ Episcopus fuit, & tamen sub Nerone crucifixus? 4. Dicimus quod *Eusebius* & *Hieronymus* qui hoc affirmant sibi non constant, inprimis vero Hieronymus sibi manifeste contra-

tradicit. Nam cum vno in loco dixiſſet Petrum eſſe crucifixum ſub Nerone, poſtea explicans verba Chriſti Mat. 23. Luc. 11. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas*, &c. diſerte dicit Petrum à Iudæis apud Hieroſolymam fuiſſe crucifixum. Cum ergo veteres ſibi contradicant, in eo apparet quod nihil certi de eo ſciuerint, & per conſequens, quod deteſtanda ſit impudentia Pontificum, qui certo affirmant, Petrum fuiſſe Romæ Epiſcopum.

V. Error eſt quod dicunt *Papam Romanum eſſe ſucceſſorem Petri. Nam.* 1. *incertum* eſt Petrum Romæ fuiſſe: quomodo ergo ſucceſſit Petro Papa Romanus. 2. Si maximè Pontificiis id ex miſericordia demus, quod Petrus Romæ fuerit, tamen *non ſequitur* Papam Romanum eſſe ſucceſſorem Petri: Nam etiam Turca eſt Conſtantinopoli, neque tamen ſequitur Turcam eſſe legittimum imperatorem Orientis ſiue Græciæ, qui legitimam ſuam reſidentiã Conſtantinopoli habuerunt: locus enim non facit ſucceſſionem legittimam; ſed duo ſunt, quę faciunt ſucceſſionem legittimam. 1. Poteſtas à Deo data. 2. Imitatio prędeceſſo-

rum in vita & moribus. Sicut dicit quodam in loco Cyprian. & post hunc Ambrosius & Hieronymus : *Vera successio est successio in doctrina, & non legittimè fert cathedram Petri, qui non retinet doctrinam Petri.* At neutrum est in Papa Romano. 1. vnde probabit à Deo sibi istam potestatem esse datam, vt sedeat Romæ, tanquam Monarcha Ecclesiæ? Nullam certe literam ex Sacra Scriptura poterit proferre, vnde hoc probet, contrarium potius mandauit suis discipulis CHRISTVS, ne nempe vnus velit esse supra alium. 2. Successionem etiam in veram doctrinam Papa Romanus non habet. Nam si decreta Papæ cum Epistolis Petri conferantur tantum discrimen erit inter ista, quantum inter lucem & tenebras: imò paulò post sumus probaturi Papam Romanum esse caput idololatrarum, tantum abest vt sit successor Petri in doctrina.

Quæ sunt membra Ecclesiæ?

Sunt

Sunt *omnes fideles*, qui in Christum credunt ad vitam æternam : Hi enim omnes Christo vniuntur; non secus ac membra nostri corporis vniuntur capiti suo. Vniuntur inquam per *Spiritum Sanctum* qui efficit tales motus in eis, quales sunt in ipsa assumpta humana natura Christi, id est, efficit, vt fideles fiant participes potestatis sacerdotalis, propheticæ, & regiæ, quæ est in Christo. De qua re suauissimè concionatur Petrus Epistola. 2. cap. 2. vers. 9. *Vos estis genus electum, regale, sacerdotium, Gens Sancta, populus quem sibi DEVS vt proprium vendicat, vt virtutes prædicentur illius qui nos vocauit è tenebris in admirabilem lucem suam.* Vide de hac doctrina plenissima consolationis, nempe de vnione membrorum cum Christo capite Syst. Theolog. pag. 370.

Quotuplicia sunt membra Christi?

Duplicia *Ministri* verbi & *Auditores*. Hîc *Pontificii* nobis obiiciunt, quod non habemus legittimos ministros in Ecclesia, & per consequens quod

etiam non ſint legittimæ oues, quia inquiunt: *vbi non ſunt legittimi paſtores ibi nec legittimæ oues*, Sed negamus *antecedens*, quod in noſtris Eccleſiis non ſint legittimi paſtores, quia is eſt legittimus paſtor, qui legittimo modo adminiſtrat ſuum officium, quod per puram fit prædicationem & adminiſtrationem Sacramentorum. At dicunt. *Quis vocauit veſtrum Lutherum & Caluinum?* Reſp. nos non pendere à Caluino aut Luthero, ſed ab ipſis *Prophetis & Apoſtolis*. Lutherus autem & Caluinus nec Prophetæ nec Apoſtoli fuerunt; ſi autem ſcire velint qualis fuerit vocatio Caluini aut Lutheri. Reſp. fuiſſe ordinariam. Nā *Lutherus* Doctor Theologiæ creatus eſt publica autoritate Academiæ Witembergenſis, & ita vocatus eſt ad docendum ordinaria vocatione. At vero Academia Witembergenſis fuit Pontificia. Reſp. Fuit ſanè tùm temporis, tamen Lutherum vocauit ad puram prædicationem Euangelii. Non dicunt enim Pontificii quod Lutherus cum ab ipſis fuit vocatus ad docendum, fuerit vocatus ad errores docendos, ſed ad docendam veritatem.

tatem. Itaque dum postea verum docuit, ordinaria vocatione eam docuit, etsi nõ docuerit ad placitum Papæ & Episcoporum. Respondeo. Peccatum hoc Lutheri non facit irritam eius vocationem. Idem dicimus de *Zwinglio*, *Caluino*, & *aliis* qui ab Episcopis fuerunt creati, vbi tamen considerãdum est, quod ad istam ordinariam vocationem accesserit quiddam extraordinarium, dum nempe primos istos ministros doctrinæ Euangelicæ, singulari quadam virtute ornauit ad detegendas horribiles abominationes in Papatum. Reliqui autem ministri qui in Ecclesia reformata docuerunt & adhuc docent, vocati fuerunt ordinariè à *magistratu* & vocantur adhuc hodie.

Iam nunc cupio audire de proprietatibus Ecclesiæ, & primo dic mihi quotuplices sunt Ecclesiæ proprietates?

Duplices: Quædam sunt *notificantes* & ostendentes nobis vbi sit Ecclesia: quædam vero *nudæ* tantum.

Quot sunt proprietas notificantes Ecclesiæ: seu quot sunt notæ veræ Ecclesiæ?

Duæ tantum sunt. 1. *Puritas* doctrinæ & Sacramentorum. 2. *Sanctitas obedientiaque* vitæ debita verbo DEI: quod probatur ex Ioan. 10. capite. *Oues meæ vocem meam audiunt.* Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos.* Ioan. 5. vers. 14. *Vos amici mei estis*, &c. Ioh. 13. vers. 32. *Ex eo agnoscent homines quod discipuli mei sitis*, &c. *Pontificii* dicunt has non esse notas veræ Ecclesiæ , & inquiunt. *Omnes Hæretici possunt sibi vendicare hoc quod habeant purum verbum DEI & legittimum vsum Sacramentorum.* Ergo. Respondeo. Id quod *per accidens* est, non euertit id quod per se est. Per accidens fit quod sibi vsurpant Hæretici. Quid enim maius in Ecclesia , quàm purum verbum DEI & legittimus vsus Sacramentorum. Cæterum in enumerandis notis Pontificii ipsi non conueniunt, vide pagina, 396. Systema-

tis

tis Theologici. Communiter autem dicunt has esse notas. 1. *Antiquitatem* : sed Respondeo, si de antiquitate simpliciter glorientur, etiam *Diabolus est perpetuus serpens*, neque tamen propterea est melior: itaque oportet antiquitatem veræ doctrinæ quærere, quam dicimus esse in nostra Ecclesia, vtpote cuius nota est purum verbum DEI, quo nihil est antiquius. *At vestra* (inquiunt) *Ecclesia cœpit demum cum Luthero ante Annos.* 80. Ergo *non est vera Ecclesia.* Respondeo. Falsum est quod Ecclesia nostra tum incœperit. Nam nostra Ecclesia *cœpit statim in Paradiso* & fuit tempore prophetarum. Alteram notam dicunt esse *continuam successionem* seu perpetuitatem doctrinæ in Ecclesia, atque ita condemnant nostras Ecclesias, vt pote in quibus non fuerit continua illa successio, & insultant nobis dicentes: *vbi fuerunt ante LVTHERVM annis.* 600, *quibus vos dicitis mundum obscuratum tenebris Pontificiis.* Resp. *Interdum esse clariorem, interdum obscu-*

riorem : itaq; ſi per ſucceſſionem intelligant ſtatum Eccleſiæ perpetuo æque clarum, tum falſum hoc eſſe quod talis ſucceſſio ſit proprietas & nota veræ Eccleſiæ. Nam viſibilis Eccleſiæ ſtatus eſt in cultu religionis & in doctrina nequaquam ſibi Eccleſia perpetuò eſt conformis, ſed ſuas velut obſcurationes & eclipſes vt ipſe Sol & Luna patitur, & interdum erroribus inuoluitur, vt nullus viſibilis ſtatus, ſeu nullum viſibile miniſterium ita euidenter appareat, quod Scriptura manifeſtè teſtatur. 2. Paralip. c. 28. vbi Eccleſiæ ſtatus plane fuit obſcuratus, vſque adeo, vt *Elias* ſe ſolum putaret ſuperfuiſſe inter membra Eccleſiæ, & nullum alium noſſet, qui pure Deum coleret. Interim Deus dicit, *Reſeruaui mihi ſeptem millia, qui non flexerunt genua coram Baal.* Sic tempore Chriſti degentis in hac terra, ſtatus Eccleſiæ fuit corruptiſſimus, ita vt præter *Chriſtum, & Apoſtolus* eius pauciſſima eſſent veræ Eccleſiæ membra. Imò ante natum Chriſtum, *Maria, Ioſeph, Zacharias* & *Eliſabetha* & pauci alii veram Eccleſiam, & ita latitabant, vt nemini apparerent. Similis ſta-

lis ſtatus fuit annis iſtis 600. ſub Papatu de quo diſertiſſimè in Apocal. 12. cap. prædictum fuit: fore nempe vt Eccleſia lateat tanquã in deſerto abſcondita. Ergo *nulla erat Eccleſia*. Sicut non ſequitur: *hic homo eſt abſconditus*. Ergo *non eſt homo*. Fuerunt in craſſiſſimis iſtis tenebris & ſub regno Antichriſti Romani vera mẽbra Eccleſiæ, etſi propter immanem *Tyrannidem Papæ* latuerint, neque ita pauci fuerunt, vt fingunt Pontificii, qui etiam hoc tempore ſub Papatu puram doctrinam & Sacramenta habuerunt, ſed fuerunt etiam multi, & integræ gentes craſſis iſtis erroribus Pontificiis non inquinatæ, vt *Albingenſes & Valdenſes*, *Piccardi* qui propagauerũt fruſtra repugnãte Papa Rom. in Bohemiam & Poloniam: Sicuti annis centum ante Lutherum fuerunt *Huſſitæ* fratres Bohemi, qui veram doctrinam pro ratione iſtorum temporum propoſuerunt. Quinimò etiam fuerunt omnibus & ſingulis annis iſtis teſtes & Doctores diuinitus excitati, qui publicè & palam reclamarunt Papæ Rom. & erroribus Pontificiis: quos teſtes veritatis ſub Papatu collegit liber

lectu dignissimus, qui Pontificiis opponi debet, cui titulus *Catalogus testium veritatis*. Tertiam notam constituunt *Pontificii vniuersalitatem*, quod nempe Ecclesia etiam dispersa per totum orbem terrarum, debeat esse Catholica. Respondeo Pontificii sibi contradicunt, cum dicunt Ecclesiam debere esse *Catholicam*, & etiam debere esse *Romanam*, quod perinde est ac si dicam: Ecclesia debet esse vniuersalis Dantiscana, aut vniuersalis Cracouiensis, siue particularis vniuersalis. Nam Romanam esse & particularem esse idem est. Secundò, Respondeo, Nos non negamus quod Ecclesia debeat esse Catholica eo sensu quo in Symbolo hoc verbum vsurpatur vt postea declarabitur. Dicimus autem nostram ECCLESIAM semper fuisse Catholicam & adhuc esse, quia postquam Apostoli collegerunt Ecclesiam ex omnibus gentibus, semper manserunt reliquiæ veræ Ecclesiæ in omnibus gentibus, etsi reliquiæ i-

ſtæ fuerint occultæ, ſicut teſtatur liber ille, quem paulò antè citauimus, quod ſub Papatu in Græcia, Italia, Hiſpania, Germania, Bohemia, Polonia, ſemper reperti ſunt qui contradixerint Papæ. Quod vero *Ieſuitæ* nobis opponunt in America & in India Orientali, multos eſſe Euangelicos adhuc, ſed Pontificios & inprimis Ieſuitas conuertere. Reſpondeo, primò, etiam *Phariſæos* per maria & terras cucurriſſe & homines ad ſuam fidem duxiſſe, neque tamen Phariſæorum religionem eſſe veram. Secundò, dicimus Pontificios plures in Indiis trucidaſſe quam conuertiſſe vt in Politicis locum citauimus vbi exiguo tempore centum quadraginta millia hominum necati ſunt. Tertiò, dicimus etiam *Diabolum* currere per totum orbem terrarum & multos ſeducere, nec tamen propterea eſſe meliorem. Quartò, dicimus etiam noſtros miniſtros docuiſſe in *Americа* verum Euangelium: ſiquidem Geneuá CALVINVS duos miniſtros Eccleſiæ inter quos fuit *Ioannes Lerius*,

qui iſtam hiſtoriam conſcripſit, miſcerat. Et hodie ſunt Orthodoxi miniſtri in India Orientali, qui publice docent doctrinam Euangelii veram, tranſuecti eo à mercatoribus Belgicis. Et omnino ſub finem etiam huius mundi in America erit vera religio: ſicut Deus iam etiam parat per mercatores Anglos & Belgas, vt impleatur illud Chriſti Mat. 23. *Prædicabitur Euangelium iſtud in toto orbe terrarum, vt ſit teſtimonium omnibus gentibus.* Deus enim in omnibus operibus ſuis ſemper ſucceſſiuè agere ſolet, idcirco primum iſtis gentibus mittit aliquam lucem de Eſſentia ſua & veritate per Pontificios, poſtea per miniſtros veræ doctrinæ clarius illas gentes illuſtrabit. Quartam notam Pontificii dicunt eſſe *concordiam* & conſenſum. Reſp. Concordiam & conſenſum eatenus eſſe notam Eccleſiæ, quatenus eſt *conſenſus in vero & bono*, non autem in malo & falſo. Nam conſenſus in malo & falſo eſt etiam inter Diabolos, & inter latrones ſummus cōſenſus. Ita inter Turcas eſt maximus conſenſus, ita vt latiſſimè propagatus ſit *Mahometiſmus*: neque tamen ſequitur Maho-

Mahometiſmum eſſe veram Eccleſiam. 2.Reſp.in noſtris Eccleſiis eſſe *conſenſum in veritate*. Nam etſi multæ ſint Eccleſiæ poſt Lutherum exortæ, ſicut ſemper Diabolus magis inſidiatur veræ Eccleſiæ,& in ea ſectas excitat,tamen Orthodoxi manent cõcordes in articulis fidei, quod teſtatur egregius liber ille *Harmonia confeſſionum*,vbi manifeſtè probatur, quod maximus ſit conſenſus inter *Eccleſias Gallicas*, *Anglicas*, *Scoticas*,*Bohemicas*, & eas quæ ſunt in *Germania ad Rhenum* & aliis nonnullis prouinciis. Nam illud diſſidium inter *Lutheranos* & *Orthodoxos* non ſtatim euertit concordiam quæ eſt inter Eccleſias Orthodoxas.3.Negamus quod tantus ſit conſenſus in Eccleſia Romana quam gloriantur. Poteſt enim oſtendi,quod Pontificii in nullo articulo inter ſe conſentiant, ſicut apparet ex *Bellarmino* qui ſæpe diſputat contra alios Pontificios; & allegat contradictiones & repugnantias Pontificiorum. *Mathias Illyricus*, Item *Iohannes Pappus* ad quos libros Pontificii nondum reſponderunt. *Andreas* etiam *Chriſoſtouius* ſcripſit *bellum Ieſuiticum*,qui etiam nondum eſt re-

furatus. Iſte liber Chryſoſtouii editus eſt in quarto Baſileæ.

Quæ eſt proprietas Nuda ſeu ſecundaria?

Eccleſiæ quoq; N. T. iſta proprietas competit quod ſit *Catholica*. 1. Ratione *locorum*, nō quia multa regna poſſideat, ſed quia ſparſa eſt per totum orbem terrarum, & ad nullum locum certum & certam gentem vel vrbem alligata, Secundò, Ratione *hominum*, quia collecta eſt ex omnium generum hominibus, ex conditione omnium hominum & gentium. Act. 10. Tertiò, Ratione *temporum*, quia durabit omnibus temporibus vſque ad finem mundi, ſicut dicitur. Matth. 28. *Ero vobiſcum vſque ad conſummationem ſeculi.* Quartò, Ratione *vnitatis*, quia Eccleſia Catholica omnibus temporibus vna eſt, nempe vnitate doctrinæ & conſenſu in iſta doctrina. Atque ita etiam diximus de proprietatibus Eccleſiæ. Iam ſi Eccleſiam Pontificiam ad has proprietates examinemus, apparebit eam non eſſe puram

Eccle-

Ecclesiam sed valde corruptam, perinde vt pomum putridum est quidem pomum sed corruptum: sicut & homo peste corruptus est homo, sed non sanus homo. Quod autem Ecclesia Pontificia non sit pura duobus manifestissimis argumentis probabimus. Primum, *Ecclesia idololatria non est pura Ecclesia. Pontificia est talis.* Ergo. *Maior* est manifesta, quia Deus nihil magis detestatur quam idololatriam; ideo dicit. *Fugite idola*: item: *nullus idololatra seruabitur.* *Minor* probatur. *Quæ Ecclesia istum honorem quem Dauid Deo tribuit, iisdem verbis tribuit creaturæ nempe Mariæ virgini, illa est Idololatrica.* At *Romana Ecclesia.* Ergo. Quod autem Romana ECCLESIA honorem DEO debitum transferat ad *Mariam virginem*, euidentissimo documento probamus ex Psalterio virginis Mariæ compilato à *Bonauentura*, qui vixit ante annos. 250. & est canonizatus à Papa Romano, ita vt numereretur inter Sanctos, & tribuatur illi nomen Seraphici, id est, Angelici Do-

ctoris. Hoc Psalterium permissu superiorum excusum est Latine *Brixiæ* & *Bononiæ* in Italia ante annos. 8. *Ingolstadii* vero in Academia Iesuitarum excusum est Germanice ante annos. 20. & expresse in præfatione dicitur, quod Spiritu Sancto dictãte, cõpilatum sit: item, quod psalterium istud passim vsurpetur in Ecclesia Romana inprimis à Monachis Benedictinis, qui *Cistercienses* appellantur. In hoc Psalterio omnia quæ Dauid tribuit Deo optimo maximo tribuuntur Mariæ virgini vt Psal. 50. *Miserere mei Domina, & munda me ab omnibus iniquitatibus meis.* Sed inprimis blasphemum est Psal. 109. Secundum istam distinctionem. *Dixit Dominus Dominæ meæ sede mater mea à dextris meis*, vbi Maria cõstituitur mater Dei patris, quasi Pater etiam natus fuisset homo, vt non dicam, quod collocari ad dextram Dei sit habere potentiam parem & gloriam cũ ipso Deo æqualem. 2. Quod Romana Ecclesia sit idololatrica probatur *Missali Romano* feria. 6. in Parasceue: *vbi dicitur Vbi Sacerdos deponit calceamenta, & accedit ad adorandam crucem, ter genua flectens ante deoscu-*

deosculationem crucis, *postmodum ministri Altaris ter etiam genibus flexis crucem adorant.* *II.* Argum. *Ecclesia quæ probat manifesta scelera, non est pura. Romana est talis.* Ergo. *Maior* probatur: quia ipsis Pontificiis confitentibus Sanctitas morum est nota veræ Ecclesiæ. *Minor* prob. Quia Papa dispensat de Incœstu, Sodomia, & aliis grauissimis sceleribus. Vide in locis commun. *Musculi* Taxam Rom. curiæ descriptam. Secundò probatur ex *Enchyridio Francisci Costeri* vbi dicitur. *Sacerdos qui fornicetur aut domi concubinam habeat, non tam grauiter peccat, quam si contrahat matrimonium*. Hoc probat *Iacob. Gretzerus in Historia ordinis Iesuitici.* pag. 115. *verissime Scripsit Costerus noster sacerdotem si fornicetur, non tam grauiter peccare, quàm si contrahat matrimonium.* Et addit: *imò recte dicitur minus peccare sacerdotem adulterium committendo quam vxorem ducendo.* Bellarm. lib. 2. de Monachis c. 30. *De moniali quæ habet votum continentiæ, non potest recte dici, melius est nubere quam vri, nam vtrumque est malum & nubere & vri, imò peius est nubere quam vri, quicquid reclament aduersarii.* 1. Cor. 17. dicitur: *Melius est*

nubere quam vri. Notetur hoc loco quod *Sleidanus* ſcribit libro. I. *Epiſcopum quendam Italum nomine Caſam, ſcripſiſſe librum integrum de laudibus Sodomiæ*, vbi notetur pro concluſione: etſi omnia concedantur Pontificiis, quæ pompoſe diſputant de Eccleſia, tamen eos nihil adhuc obtinere, quia debent prius probare, quod *Papatus ſit vera Eccleſia*, quod dum nondum probant, nec in æternum probare poterunt, obiiciunt nobis ſpecioſum titulum Eccleſiæ. Et quando dicunt: *abſurdum eſt ante locum de Eccleſia diſcuſſum, vllam de articulis fidei ſuſcipere diſputationem*, id etiam parum eos iuuat, quia de doctrina & fide ex verbo Dei diſputant, & diſputari poteſt, etiamſi nondum locus de Eccleſia ſit tractatus. Nam *verbum Dei* eſt ante *Eccleſiam* & ſupra Eccleſiam, & Eccleſia non habet ius torquendi Scripturam vt ſupra probauim' in loco de Scriptura. Notetur dolus ſingularis Pontificiorum, qui cum diu de Eccleſia vociferati ſunt, tandem dicunt Eccleſiam eſſe *concilium* Papæ, Cardinalium, & Epiſcoporũ, atq; ita reliquos homines, qui non ſunt Cardinales & Epiſcopi

piſcopi tacitè videntur remouere & excludere, qui Eccleſiam propriè & principaliter dictam non conſtituerent, ſaltem vt poſſint ſuorum Spiritualium ſtabilire inſolentiam, contra manifeſtum Dei verbum.

Doctrinam de redemptione mihi declaraſti, conſequens eſt, vt me erudias de iuſtificatione hominis coram Deo, quare dic mihi quid eſt iuſtificatio?

Iuſtificatio eſt abſolutio hominis peccatoris à peccatis, ſiue eſt ***remiſſio peccatorum*** ex mera Dei gratia, propter meritum Christi, per fidem nobis applicatum & imputatum.

Quæ ſunt conſideranda circa iuſtificationem?

Quatuor. 1. Cauſa *principalis*. 2. Cauſa *inſtrumentalis*. 3. *Effectus* ſeu fructus. 4. *Connexum*.

Quæ eſt cauſa iuſtificationis coram Deo?

Causa Principalis iustificationis est vel *Prima* vel *Orta*. Prima causa est *gratia & misericordia Dei*. Orta est *meritum Christi* seu Passio & mors Christi nostra facta, nobis imputata, siue nobis appropriata: vt nempe Christi Passio tam nobis seruiat, ac si nos ipsi in cruce pependissemus ac pro peccatis nostris mortui fuissemus, 2. Manifesta testimonia Scripturæ Rom. 5. v. 19. *Sicut per vnum hominem peccatores constituti sunt multi*, &c. Rom. 4. v. 6. *Beatus homo cui Deus imputat iustitiam absq; operibus legis*. 2. Cor. 8. *Fecit eum qui non nouit peccatum vt esset peccatum pro nobis, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipsa*. Gal. 3. v. 15. *Christus nos redemit ab execratione legis, dum factus pro nobis est execratio*. Philip. 3. v. 9. *vt comperiar non habens meam iustitiam, sed eam quæ est per fidem Christi*. Non repugnat autem hoc quod dicimus peccatorem iustificari ex mera *gratia Dei*, & ex *merito Christi*, quia mera Dei gratia & misericordia factum est, quod Christus pro nobis illud meritum præstiterit, nam Christus non erat nobis obligatus, vt pro nobis moreretur, sed

ex mera gratia & misericordia pro nobis mortem subiit.

Quæ est causa instrumentalis iustificationis?

Sola *fides* in Christum, vt pote quâ fide tanquam manu & instrumento apprehendimus & applicamus nobis meritũ & satisfactionem pro nobis à Christo præstitam.

Quid est fides?

Fides non tantum est *notitia historiæ* de Christo, sed etiam est *vera fiducia* cordis quâ certo statuimus & confidimus nobis peccata à Deo remitti propter Christi passionem & mortem. Notentur hîc errores grauissimi *Pontificiorum* quorum. 1. est, quod fides sit tantum quædã *notitia historica*, non autem vera fiducia cordis. Contra quod Scriptura loquitur Rom. 8. v. 20. vbi fides vocatur certa fiducia seu persuasio. Vide Gymnas. Logicum, in quo hoc thema tractatur Fides. 2. Est error, quod consequamur remissionem peccatorum non sola fide, sed etiam *merito bonorum operum* contra

dicta Scripturæ. Eph. 2. v. 8. *Gratia Dei seruati estis per fidem, non ex vobis.* Rom. 4. *Credit Abraham, & imputatum est ei ad iustitiam.* Item. *Et qui non operatur sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iustitiam.* Luc. 8. Mar. 5. dicit Christus: *Solummodo crede,* quod perinde est, ac si diceret: Sola fide consequeris vitam æternam. Etsi ergo non extent manifeste ista verbo: *Sola fide iustificamur*, tamen sensus est manifestè in Scriptura & verbo æquipollentia. Nam quod Apost. dicit. Rom. 3. v. 28. *Concludimus hominem iustificari absque operibus legis*, plane idem est ac si dixisset: Concludimus sola fide iustificari hominem. Nam aut fide iustificatur homo aut operibus, non datur tertium. Ad Gal. 3. v. 16. dicit diserte Paulus: *Scimus hominem non iustificari ex operibus legis nisi per fidem Iesu Christi.* Eph. 2. Tit. 3. v. 5. *Non ex operibus iustis quæ fecerimus nos, sed ex sua misericordia seruauit nos, per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sancti.* Ergo restat vt dicamus *sola fide iustificari hominem.* Quod autem homo non iustificatur operibus, atq; adeo quod opera no-

ra noſtra non mereantur remiſſionem peccatorum, probatur manifeſtis dictis Scripturæ. Tit.3.v.5. Eph.2.v.8. *Gratia eſtis ſeruati per fidem, idq; non ex vobis; donum Dei eſt: non ex operibus ne quis glorietur.* 2. Philip.3.v.9. Rom.3. v. 24. II. Iuſtificamur antequam bona opera edamus, ſicut teſtatur expreſſe Paulus de *Abrahamo*, quod antequam bonũ opus feciſſet, iuſtificatus fuerit coram Deo, vbi inquit Rom.4.v.2. *Si Abrahamus iuſtificatus ex operibus fuit, habet quod glorietur, at non apud Deum, ei qui operatur, merces non imputatur ex gratia, ſed ex debito: at vero qui non operatur, ſed credit in eum qui iuſtificat impium, imputatur fides ſua ad iuſtitiam.* Tertium argumentum ſumitur ex proprietate operum noſtrorum. *Noſtra opera ſunt debita.* Ergo *per ea nihil paſſumus mereri.* *Antecedens* probatur, Luc. 17. *Cum omnia feceritis,* &c. 2. *Bona opera non ſunt noſtra ſed Dei,* per id autem quod non eſt noſtrum ſed alteri⁹ nihil poſſumus mereri. *Antecedens* probatur Philip.2. verſ. 13. *Deus eſt qui efficit & perficit.* Eph. 2. verſ. 10. *Ipſius factura ſumus, creati in CHRISTO IESV ad bono opera quæ*

præparauit vt in illis ambulemus. 3. *Bona opera non sunt perfecta.* Ergo *nihil possumus iis mereri.* Qui vult ab aliquo mereri, tria requiruntur. 1. Vt habeat suum *proprium.* 2. Vt non sit *debitum.* 3. Vt sit *perfectum:* quæ tres conditiones desunt nostris bonis operibus, sicut dicitur Esai. 6, *Omnis iustitia nostra similis est panno menstruato* & Phil. 3. v. 8. vocat Paulus sua opera stercora.

Audiui de fide iustificante, dic etiam per quas causas fides hæc acquiratur?

Causa per quam fides principalis saluifica acquiritur est *Spiritus Sanctus.* Instrumentalis est vel *ordinaria* vel *extraordinaria.*

Quod est ordinarium instrumentum per quod Spiritus sanctus fidem in nobis operatur?

Duplex est: *Verbum* Dei nempe & *Sacramenta.*

De verbo Dei supra audiui, dic quid est Sacramentum?

Est

Est sacrum *signum* diuinitus institutum, quo Deus credentes certo: reddit de sua gratia & remissione peccatorum aliisq; beneficiis per Christi passionem & mortem conferendis.

Quotuplicia sunt Sacramenta?

Duplicia *Veteris* & *Noui Testamenti.*

Quot fuerunt Sacramenta in V. T?

Duo: nempe *Circumcisio* & *Agnus Paschalis.*

Quot sunt Sacramenta in N. T?

Duo tantum, *Baptismus* & *Cœna Domini.*

Quid est Baptismus?

Est Sacramentum N. T. quo perfusione aquæ in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti facta *initiamur* Ecclesiæ, & *obsignatur* fidelibus remissio peccatorum facta per sanguinem Christi & regeneratio ad vitam æternam. Vide plura in *Syst. Theolog.* pag. 45. Et in explicat. *Catechismi vrsini* pag. 459. editionis vltimæ.

Quid est Cœna Domini?

De hac agitur in Speciali notitiâ, vtpote quæ notitia proximè accedit ad legittimam præparationem ad *Cœnam Domini*. Hic notetur error *Pontificiorum* qui fecerunt *septem Sacramenta*. N. T. nempe Baptismum, Confirmationem, Pœnitentiam, Eucharistiam, Extremam vnctionem, Ordinem & Coniugium. At vero iste numerus Sacramentorum, nullo Sacræ Scripturæ testimonio nititur, nullo etiam vetustorum Patrum suffragio, sed recens illa enumeratio facta est, ante annos 200. tempore *Lombardi Magistri sententiarum*. Præterea omne Sacramentum, debet habere *signū & rem signatam*, pœnitentia, coniugium, ordo, planè carent signo. Præterea omne Sacramentum habet connexam *promissionem gratiæ* & pertinet ad omnes credentes in Ecclesia, & denique manifeste Sacramenta sunt *instituta à Christo*, vt quod de istis quisque Sacramentis quæ fingunt Pontificii, præter Baptismum & Cœnam Domini nullo modo dici potest.

Quod est instrumentum extraordinarium Fidei?

Sunt

Sunt *miracula*, quæ sunt signa extraordinaria, per quæ Deus miro quodam modo fidem operatus est & confirmauit in primitiua Ecclesia. Notetur duplex error *Pontificiorum*. 1. Quod putant adhuc opus esse miraculis, cum tamen miracula tantum seruiant confirmandæ doctrinæ ab initio, & debent cessare postquam doctrina est confirmata. *2.* Error est, quod putant miracula esse notam veræ Ecclesiæ, cum tamen & Hypocritæ passim ediderint miracula & edere queant. Marc. *13.* vers. 22. Luc. 21. quod sub finem exorientur Pseudoprophetæ qui miracula edant. 2. Thes. 2. v. *9.* memorabilis est locus contra Pontificios gloriantes de suis miraculis: *aduentus Antichristi est ex efficacia Sathanæ, cum omnipotentia, & signis & prodigiis mendacibus.* Hîc apparet, ante finem mundi edere multa miracula esse *notam Antichristi.* Et dicit Apostolus illa prodigia etiam mendacia, quid experientia testatur in Monasteriis, quam multæ fraudes excogitantur à *Monachis,* & ad decipiendum vulgum, vt putent edi miracula.

Audiui de causis iustificationis; dic mihi quis sit fructus iustificationis?

Est *pax conscientiæ* per quam homo de Dei gratia certꝰ est de vita ęterna. Quod inprimis obseruetur contra detestandum errorem *Pontificiorum*, qui in Concil. Trident. sess. 6. statuunt hominem in hac vita non posse esse certum, sed debere semper dubitare, & addunt *non esse maiorem abominationē apud Deum; quam cum miser peccator statuit se esse certum de gratia Dei*, & addunt, *eum qui hoc statuit, debere esse anathema.* Huic abominando errori opponimus manifesta dicta Sª Sª· Rom. 8. v. 15. *Non accepistis Spiritum seruitutis sed adoptionis, per quem clamamus Abba Pater; qui testatur Spiritui nostro vna, nos esse filios Dei.* Horribilis est impietas nos nolle eius testimonium accipere, sed de eius certitudine dubitare. 1. Ioh. 5. *Qui credit in filium Dei, habet tectimonium in seipso.* Et sanè si Deus vellet nos dubitare, nunquam iurasset, se velle nobis esse propitium. Iam vero iurauit manifeste Ezech. 8. *Viuo ego*, id est, quam verè sum & viuo,

viuo, *nolo mortem peccatoris sed vt viuat*. It. Ioh. 5. *Amen, amen dico vobis, quicunque credit in filium, habet vitam æternam. Væ autem tibi*, ait Augustinus, *si ne Deo iuranti credis*. Sed obiiciunt Pontificii. Qui sunt *infirmi, facile labuntur*, illi non possunt esse certi de gratia Dei. Resp. Quicunque sunt infirmi, illi facile possunt labi: limito, nisi alius sit *potentior*, qui eos sustentet. Iam autem Deus est ille qui nos sustentat, & qui succurrit infirmitati nostræ. Ergo possumus esse certi de remissione peccatorum, & de gratia Dei, non quidem per naturam nostram, quæ est infirma, sed per auxilium Spiritus Sancti nos confirmantis, secundum dicta Scripturæ. Psal. 37. v. 24. *Si ceciderit iustus, non collidetur*, quia Deus supponit manũ. Ioh. 10. v. 38. *Ego vitam æternam do meis ouibus, nec peribunt in æternum, neque rapiet eos quisquam è manu mea. Pater qui dedit mihi eas, maior est omnibus*, id est, facile potest infirmitatem eorum supplere, & eas sustentare potenter. Rom. 8. v. 38. *Mihi persuasum est, neque vitam, neque mortem, neque præsentia, neque futura posse nos separare à Charitate Dei, qua est in Iesu Christo*. Ob-

iiciunt locũ. 1. Cor. 10. *qui ſtat, videat ne cadat*. Reſp. Apoſtolum loqui ibi de *hypocritis* qui falſo ſibi perſuadent ſe ſtare, & deinde loquitur de *infirmitate humana*, de qua omnino ſumus admonendi, ne putemus ſalutem poſitam eſſe in noſtris virib. ſed ſolummodo *gratia diuina*. Citant etiam Eccl. 9. *Neſcit homo, an amore, an odio dignus ſit*. Reſp. Eſt fallacia non limitati, oportet ergo limitare Neſcis homo *ex ſe*, ſcit autem Deo reuelante & Spiritu Sancto teſtante. 2. Neſcit homo ex iſtis cauſis humanis, & ex *fortuna euentu*, & rerum externarum caſibus, expreſſe ibi textus loquitur. Quod homo ex rebus externis nempe Diuitiis, vel paupertate, vel valetudine, vel morbis, ex honore vel contemptu, vel deniq; ex omni externo hoc ſtatu, non poſſit iudicium capere an ſit in gratia an verò in odio Dei. Atque ita quod non poſſit ſic cõcludere quã multi concludunt. *Ego ſum diues*. Ergo *ſum filius Dei*: vel, *ego ſum miſer*. Ergo *Deus me odit*. Nã ex verbo Dei oportet nos iudicium capere, an ſimus in gratia Dei, necne. Cũ ergo certum ſit, quod homo fidelis poſſit eſſe certus de gratia Dei & remiſſione peccatorum, & habere pacẽ cõſcientiæ,

ſicut dicitur Rom. 5. v. 1. *Iuſtificati fide pacē habem⁹*. Sequitur inde alterū quoq; quod homo cum receptus ſit in gratiā Dei, & conſecutus ſit ſemel per veram fidem remiſſionem peccatorum, vt nō poſſit excidere plane ex gratia Dei & amittere fidem, atq; ita fieri obnoxius æternæ damnationi. Nam quia nō debemus dubitare de Gratia Dei, ideo nō poſſumus etiam excidere de gratia Dei. Nam ſi poſſim⁹ excidere, oporteret nos dubitare de gratia Dei. Quod autē ſemel recepti in gratiā Dei, non poſſimus plane amittere gratiam Dei, dicit Scriptura, Rom. 8. v. 1. *Nulla eſt cōdēnatio his qui inſiti ſunt in Chriſto Ieſu.* Si nulla cōdēnatio, perpetua gratia. Et ſi nulla condemnatio, nullū tēpus quo poſſint excidere è gratia Dei, & incidere in condemnationem. Nā nulla cōdemnatio tā genere, quā tēpore hic eſt intelligenda. Huc pertinet locus quem ante citauimus. Ioh. 10. *Oues meas nemo rapiet ex manu mea*, Quod perinde eſt ac ſi diceret, nunquam rapientur oues è manu mea. Quod notetur contra *Pontificios*, qui dicunt, *hominem ſemel receptum in gratiam Dei, iterum poſſe ex eadem gratia*

excidere perinde ac si nunquam in ea gratia fuisset, sed ex Deo misericordi, habeat immisericordem, irreconciliabilem, sicut aliquis qui excidit gratia regis, ex rege clemente nanciscitur inclementem. Obiiciunt locum Psal. 51. vbi Dauid post admissum peccatum precatur: *Redde mihi lætitiam salutaris mei*. Ergo, *inquiunt, amiserat gratiam Dei*. Resp. Pontificios non rectè aspicere, nam non dicitur Redde mihi Spiritum meum quem amiseram, sed dicit *redde mihi lætitiam*. Itaque ille textus est contra ipsos: si enim Dauid amisisset gratiam illam Dei & Spiritum, & salutare illud suum amisisset: sed sic tantum ait: *redde mihi lætitiam*: Nam homo fidelis cum incidit in peccata, retinet quidem Spiritum Sanctum, sed contristat tamen conscientiam suam, & non fit amplius ita lætus coram Deo vt ante erat. Petit ergo vt tristitiam hanc illi adimat & reddat cor lætum.

Audiui de fructu iustificationis, dic quod est connexum Iustificationis?

Quia

Quia homo iustificatus etiam septies in die cadit, ideo cum iustificatione semper debet esse connexa *pœnitentia*.

Quot partibus constat vera Pœnitentia?

Duabus partibus velut contrariis inter se temperatis, nempe *dolore* ob admissa peccata & Deum offensum: deinde lætitia seu fiducia remissionis peccatorum, habendæ propter meritũ Christi vide. 467. Syst. *Theolog.* & in explicat. *Catech. Vrsini.* pag. 640. Notetur autem duplex error *Pontificiorum* quorum. 1. est, quod ad pœnitentiam veram, oporteat esse *confessionem sacerdoti*: Cui errori opponimus. 1. quia confessio illa nusquã est à Deo, & nusquam exemplum habetur vllius Sancti hominis in tota Sacra Scriptura vtpote quæ vult, vt omnia nostra peccata Deo confiteamur sicut facit Dauid Ps. 51. *Tibi Domine soli peccaui.* Et Publicanus Luc. 18. stans in templo soli Deo peccata confitetur, & inde abit iustificatus. Vnde Chrysost. ait. *Deo confitere peccata tua, hominibus enim non est tutum, quia*

possunt vel detegere vel exprobrare. Alter error est, quod *Pœnitentia sit satisfactoria*, siue quod per nostram pœnitentiam satisfaciamus pro peccatis. Cui detestabili errori *dicta Sacræ Scripturæ* opponantur, quibus supra ostendimus passionem Christi satisfacere pro nostris peccatis.

Docuisti me de redemptione, iam quæso doceas me de Sanctificatione?

Sanctificatio, regeneratio, & noua obedientia seu conuersio ad Deum idem significant, & nihil aliud est quam *mutatio naturæ nostræ corruptæ in melius*, atque adeo firmum propositum de peccatis posthac vitandis, & de noua vita instituenda, quæ placeat Deo & condigna sit fide & religione nostra : Quæ quidem regeneratio in hac vita non potest esse perfecta sed tantum est *inchoata* & semper coniuncta cum lucta quadam peccatorum, siue carnis & Spiritus vt prolixe docet Apostolus Rom. 7. Gal. 5. *Bonum*, inquit, *quod volo non facio.* In altera autem vita *perfecte* regenerabimur,

mur, ſanctificabimur, & ad imaginem Dei reformabimur. Sed tamen Deus omnino vult in hac vita inchoari regenerationem, & præſtari à nobis bona opera, ſicut mandat Saluator. Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra*, &c. 2. Pet. 1. verſ. 16. *Studete vocationem veſtram & electionẽ facere firmam per bona opera*, i. e. præbete tam vobisipſis, quam aliis certum teſtimonium, quod habeatis veram fidem, ex qua naſcantur bona opera. Nam *fides* ſine operibus eſt mortua, & non eſt fides. 1. Theſal. 4. *Hæc eſt voluntas Dei Sanctificatio veſtra*. Rom. 6. verſ. 12. *Siſtite membra veſtra arma iuſtitiæ*. Et grauiſſima eſt vox Hebr. 13. *Sine ſanctificatione nemo videbit Deum*. Itaq; ſi quæratur *an bona opera ſint neceſſaria ad ſalutem*? Reſp. Si ſaltem accipiamus ſalutem pro remiſſione peccatorum, & pro *iuſtificatione*, tum bona opera non ſunt neceſſaria, quia prius remitti nobis peccata neceſſe eſt, antequã poſſimus edere opera Deo placẽtia. Itaq; bona opera nil faciũt ad remiſſionẽ peccatorum, vtpote quam cõſequimur ſola fide contra *Pontificios*. Si autem voca-

bulum non ſumatur pro remiſſione peccatorum, ſed pro ipſa *vita æterna*, quam poſthac ſumus habituri, opus eſt bonis operibus, tanquam aliquo intercedente, non tanquam cauſam meritoriam. Quia tum ſuperinduemur, ſi non reperiamur nudi, id eſt, plene in altera vita reformabimur, ſi in hac inchoauerimus iſtam reformationem & ſanctificationē. Et hoc eſt quod dicit Apoſtol9 Hebr. 12. v. 14. *Pacem ſectamini cum omnibus & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Dominum.*

Quot ſunt partes ſanctificationis noſtræ?

Duæ. *Bona opera* & *precatio*. Nam in his duobus conſiſtit omnis noſtra *regeneratio* & conuerſio, nempe vt edamus bona opera & quotidie Deum inuocemus.

Quæ ſunt bona opera, ſeu quæ ſunt requiſita bonorum, id eſt, placentium Deo operum?

Tria ſunt requiſita. 1. vt ex vera *fide* pro-

proficiſcantur; nam *quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt* Rom. 15. v. 23. Heb. 11. v. 6. *Impoſſibile eſt placere Deo.* &c. 2. Vt ſint *mandata* à Deo: nam quæcunque ſunt opera ab hominibus, & à Deo non ſunt mandata, illa non ſunt bona opera. Ezech. 9. v. 19. *In præceptis meis ambuletis, non in præceptis patrum veſtrorum.* Mat. 18. v. 9. *Fruſtra me colunt docentes doctrinas & præcepta hominum.* 3. vt bona opera noſtra referantur ad *gloriam Dei*, non autem ad oſtentationem & hypocriſin. 1. Cor. 11. v. 31. *Omnia ad Dei gloriam facite.* Mat. 5. v. 16. *vt videant homines opera veſtra, & glorificetur pater veſter cœleſtis.* Hinc facile iudicari poteſt, quid ſit ſentiendum de plerisque operibus *Pontificiorum*, quibus illi putant ſe Deum colere, vt ſunt *vigiliæ* & *peregrinationes* ad loca Sancta, *exornationes templorum.* Nam talia opera non ſunt bona opera. 1. Quia non fiunt ex fide, ſed ex peſtilentiſſima *opinione meriti & ſatisfactione pro peccatis.* 2. Quia non ſunt mandata à Deo, ſed tantum *ficta* & conſtituta à Papis & Epiſcopis, contra manifeſta mandata Dei, vt illud de *ieiuniis* & abſtinentia à carne die Veneris,

quod ieiunium & diſcrimen ciborum diſerte eſt contra verbum Dei Mat. 15. *Quod in os ingreditur non inquinat hominem, ſed quod ex ore egreditur.* 1. Tim. 4. Prohibitionem certorum ciborũ atq; adeò carnium diſerte Apoſtolus nominat inter doctrinas Dæmoniorum. Col. 2. *ne quis vos iudicet in cibo & potu, & in vicibus feſtorum.* Rom. 14. *Perſuaſum habeo per Dominum Ieſum, nihil eſſe commune* (i. e. prophanum) *per ſe, niſi ei qui exiſtimat aliquid eſſe commune* ſeu prophanum. *Non enim regnum Dei eſt cibus vel potus, ſed iuſtitia & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.*

Quæ ergo eſt norma & menſura bonorum operum noſtrorum, atque adeo vnde cognoſcimus, quænam opera ſunt mandata à Deo?

Sola lex Moralis ſeu *Decalogus* eſt menſura bonorum operum, & inde cognoſcimus, quænam opera placeant Deo, quæ lex reuocatur ad duo capita, nempe ad *verum cultum Dei*, & deinde *opera charitatis,*

ritatis, quæ proximo præſtamus. Cultus Dei deſcribitur in prima Decalogi parte: dilectio vero proximi & eius dilectionis opera in ſecunda tabula.

Quæ eſt altera pars Sanctificationis?

Inuocatio Dei.

Quotuplex eſt inuocatio Dei?

Duplex: nempe *petitio* eorum, quibus indigemus, & 2. *Gratiarũ actio* pro iis quæ accipimus. Quæ vtraque inuocatio Dei eſt, vel *publica*, vel *priuata*. De vtraque vide *Syſt. Theol.* pagina. 487. Atque hic notetur duplex error *Pontificiorum* grauiſſimus: quorum primus eſt, de *Inuocatione Sanctorum*. Secundus, de *adoratione imaginum & veneratione reliquiarũ*. Quod ad primum errorem attinet *ſolum Deum eſſe inuocandum*, id eſt, deuotum affectum mentis noſtræ etiam dirigendum ad Deum, non autem ad *Angelos*, non ad *Mariam virginem*, non ad *Apoſtolos* neque ad. 14. *iſtos auxiliatores* per quorũ interceſſionem & merita Pontificii blaſphemè dicunt ſeſe ab omnibus aduer-

Duo Pontificiorum errores de Inuocatione.

sitatibus liberati, vt sunt. *Georgius, Erasmus, Basilius, Pantaleon, Vitus, Christophorus, Dionysius, Cyriacus, Achatius, Eustachius, Ægidius, Margareta, Barbara & Catharina.* Hinc est *missa de. 14. auxiliatoribus.* Hinc inuocationi Sanctorum opponimus manifestum verbum Dei, nos deuotum affectum animi soli Deo debere. Deut. 6. *Dominũ Deum tuum adorabis*, &c, quod Christus repetit Mat. 4. aduersus Sathanam, vide similia loca. Exod. 20. Ps. 50. v. 15. Psal. 95. v. 6. Psal. 90. v. 9. & 10. *Angeli* ipsi hunc cultum tanquam idololatricum respuunt & prohibent. Iud. 10. v. 16. vbi Angelus dicit ad Manoa Sãsonis patrem: *Si vis holocaustum facere, offer illud Iehouæ non mihi.* Apoc. 19. v. 20. It. 22. v. 9. *Angelus* interdicit Iohanni, ne procidat coram ipso, & ipsum adoret. Vnde inquit: *Ne feceris hoc: conseruus enim tuus sum*, id est, æquè sum creatura, atque tu. Paulus Col. 2. expresse damnat cultum Angelorum. Notetur etiam valde manifestus locus Rom. 10. *quomodo inuocabunt eum in quem non crediderunt?* Vnde sic argumentamur. *Non debemus credere in Sanctos.* Ergo *nec inuocare Sanctos.* Et ad

Gal.

Gal. 4. v. 5. Apoſtolus gentes accuſat, quod inuocarint eos qui non fuerint natura Dii. Vnde argumētor. *Sācti non ſunt natura Deus*, Ergo *non ſunt inuocandi*: aut ſi inuocantur committitur idololatria turpiſſima. At vero *Sancti poſſunt pro nobis intercedere*. Ergo *ſunt inuocandi*. Reſp. Falſum eſt prius, quod Sancti intercedant pro nobis apud Deum. Quia. 1. vnicum tantum habemus *interceſſorem*, nempe *Ieſum Chriſtum*. Sicut dicitur. *Vnus eſt mediator inter homines & Deum, Homo Ieſus Chriſtus*. 1. Tim. 2. v. 5. vide ſimilia loca Ioh. 16. v. 13. Rom. 3. v. 35. Rom. 8. v. 34. Heb. 2. v. 17. Heb. 7. v. 25. Heb. 9. v. 12. II. *Sancti* non poſſunt eſſe interceſſores quia *gemitus cordium noſtrorum non norunt*, & occultas noſtras afflictiones non intelligunt. Nam hę ſunt conditiones aduocati ſeu interceſſoris. 1. Vt interceſſor nobis ſit perſpicuis teſtimoniis nominatus & commendatus. 2. Vt ille interceſſor ſit perfecte iuſtus & Sanctus. 3. Vt ille interceſſor norit gemitus & afflictiones eius pro quo vult intercedere. Quæ omnia non competunt Sanctis, nam Sancti non ſunt nobis inſtituti à Deo inter-

cessores, nec habemus in Scriptura vllū mandatum, quod debeamus habere Sanctos pro nostris intercessoribus aut eos inuocare, sed habeamus potius contraria mandata, quę ante citauimus. 2. in tota *Scriptura nullum habemus exemplum* quod vllus Sanctus aliquem Sanctū inuocauerit, & rogauerit, vt pro eo intercederet. Nec etiam competit secunda conditio, quod nempe coram Deo sint plane mundi, vt pro aliis possint intercedere, quin potius ipsi egent intercessore. Sicut dicitur Iob. 15. *etiam in Sanctis suis repperit immunditiam*. 3. *Sancti* nō norunt nostras afflictiones & gemitus, quomodo ergo possunt intercedere, si nesciant quid petamus? Solus enim Deus est scrutator cordium & nouit gemitus hominū. At dicunt Pontificii *Sancti tanquam amici Dei in speculo Trinitatis gemitus & vota*

NB. *nostra respiciunt*. Resp. 1. si Sancti ex Deo cognoscunt nostros gemitus, quid opus est, vt prius Sanctos inuocemus, & quid opus est apud Deum intercessoribus, si ille apud quem intercedunt, norit, quid nobis desit melius, quam ipsi intercesso-

res,

res ? Valde enim absurdum foret, vti intercessore apud regem, si rex melius norit eum, pro quo intercessor velit intercedere, quam ipse intercessor nouit. Et quam absurdum foret si intercessor diceret, quæso mi rex dic mihi, quid iste petit pro quo intercessurus sum. 2. dico quod *Scriptura* hoc speculum planè confringat. Esa. 62. *Attende de cælo, de habitaculo Sancto tuo.. Tu enim pater noster, Abraham nesciuit nos, Israel ignorauit nos, tu autem pater noster à seculo nomen tuum.* Hic autem expresse dicitur quod Abraham & Israel qui dudum mortui erant, & quorum animæ erant apud Deum in cælis, in specie, non sciuerint gemitus & afflictiones *Ecclesiæ* in terris militantis, & quod Sancti mortui non cognoscant res nostras in terris, & quid his accidat in specie inter viuos, testatur locus. 2. Reg. capite. 22. vbi Deus inquit ad *Iosiam* piissimum & sanctissimum regem: *Colligam te ad patres tuos, vt non videant oculi tui mala omnia, quæ introducturus sum super locum istum.* Esaiæ. 67. *A facie*

mali collectus est iustus, ne videat calamitates propter impietatem immissas. Eccles. 9. *Mortui nihil nouerunt amplius*; nempe earum rerum, quæ geruntur in terris. Hinc ergo concluditur, *Sanctos* non posse esse intercessores, sed nec opus est, vt sint intercessores. 1. Quia Deus melius nouit nostras afflictiones quam Angeli. 2. Quia magis est misericors quam vllus Sanctus, & cupit nos magis viuere quàm vllus Sanctus; Quod apud *Reges* vtamur intercessoribus, id fit propter defectum & imbecillitatem humanam, quia principes non norunt omnium hominum afflictiones. 2. Quia principes plus vni homini sunt affecti, quam alteri, talis autem respectus personarum apud Deum non est, vt dicitur Act. 10. Afferunt *Pontificii* discrimen inter δȣλείαν & λατρείαν, & dicunt *Sanctis* deberi δȣλείαν, *Deo* vero λατρείαν. Contra quam distinctionem vide quam perspicue disputetur in explicationibus *Catechismi Vrsini*. pag. 739. vbi ex Sacra Scriptura probatur, quod & λατρεία & δȣλεία Deo conueniant. Neutra vero Sanctis. Illud tantum moneo, quod Pontificii suam distinctionē

plane

plane violant, quod tali argumento probo. *Omnia quæ Dauid in Psalmis tribuit Deo tribuit per λατρείαν* : At *omnia illa quæ Dauid tribuit Deo, in Psalterio Bonauenturæ, tribuuntur Mariæ*. Ergo. Alter error *Pontificiorum* est de *cultu imaginum* atque adeo de cultu quem præstant *reliquiis Sanctorum*. Ac primò quidem statuunt Pontificii quod ad certa sacella & templa, & ad diuorum statuas preces sint maioris efficaciæ, & meriti quã illæ quæ alibi ad Deum effunduntur. Contra sacra Scriptura. Ioh. 4. *Veniet tempus, cum veri adoratores, neque Hierosolymis, neque in hoc monte Patrem adorabunt, sed in Spiritu & veritate.* Matth. 6. Christus iubet nos ad cubiculum nostrum abire, & ibi clausis foribus preces fundere. 1. Tim. 2. Vult Apostolus viros in omni loco orare, tollentes puras manus. Contra reliquias vero & imagines notetur locus. Es. 42. *Gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus.* At dicunt Pontificii nos non adoramus imagines, & scimus quod in secundo præcepto dicitur: *Ne incurues te illis, &c.* Resp. Dicunt se non facere & faciunt. Nam supra probauimus quod ado-

Pont. Error de cultu imaginũ, & reliquiarum periodus.

rent crucem : *Ecce signum crucis, venite adoremus eam.* Deinde impossibile est aliquem toto affectu esse intentum in imaginem & tamen nullam deuotionem dirigere ad imaginem, sicut quidam ex veteribus ait. *Fieri nulla ratione potest, quin affectus abstrahatur ab eo, in quo totus sensus est defixus.* Ideo Lactantius inquit. *Nullum ibi verum esse cultum vbi respectus fiat ad imagines.* 3. Dicimus vtrumque æqualiter à Deo esse prohibitum, nempe & adorationem ipsius imaginis, & adoratione͂ Dei coram vel ante imaginem. Et est expressus locus Leuit. 26. vers. 1. *Ne facite vobis idola aut sculptile aut statuam ne erigite vobis, neque lapidem aut figuram ponite intra vestram terram, vt adoretis ante illud.* Nam *ego sum Iehoua Deus vester.* At inquiunt. *Imagines sunt Biblia Laicorum ideo tolerari possunt, tanquam admonitiones quædam historicæ in gratiam Laicorum.* Resp. 1. est magna blasphemia dicere, quod imagines sint *Biblia*, hoc est, verbum Dei. Nam verbi Dei atque adeo Bibliorum summa est & ineffabilis autoritas. Quis autem

tem dicit imaginum istam esse autoritatem diuinam & æternam, quæ est ipsius Dei? 2. Imagines non possunt esse Biblia Laicorum, quia Biblia continent veram doctrinam de Deo, imagines autem falsæ sunt, & mendaces doctores, & docent mendacia, vt expresse dicitur Ier. 10. Habac. 2. v. 18. 19. Deinde nos non debemus esse sapientiores Deo qui suam Ecclesiam non mutis simulachris & imaginibus, sed viua prædicatione verbi sui & legittimo vsu Sacramentorum, vult docere. Et hæc etiam de *adoratione reliquiarum*, quarum cultus iisdem Scripturæ verbis refutari potest, quibus cultus imaginum refutatur.

Deduxisti me per vniuersam S. Theologiam, atque ita suppeditasti generalem notitiam, qua possim præparari ad S. Cœnam Domini, consequens est vt mihi communices specialem notitiam, quæ est de ipsa Cœna Domini ad quam præparari cupio?

Recte me mones & libenter id etiam præstabo, modo primò hoc notes, quod *vox Sacramenti* in Scriptura quidem non extet, sed tantum æquipollentia verba, vt ad Rom. 4. vox sigilli cum Paulus vocat *circumcisionem sigillum iustitiæ fidei*. Sacramentum ergo est *Sacrum signum* connexum verbo Dei tanquam tabulis & literis, in quibus Deus nobis promittit suam gratiam, & remissionem peccatorum, & mortem mediatoris Christi. Sunt autem triplicia signa quædam tantum *significantia* seu notantia aliquid, vt limes notificat agros esse distinctos: quędam *memoratiua*, quæ nobis memoriam aliquam repræsentare debent, & in nobis affectum & voluntatem commouent ad gratam eius recordationem, vt cum amicus amico dat egregium aliquem librum aut aureum nummum, qui debeat esse ei signum recordationis amicæ. Quędam *certificantia*, per quę nobis confirmatur aliquod beneficium ab aliquo promissum: vt sigillum appensum literis alicuius regis, non est tantum notificans aut commemorans sed inprimis eum certificans, per quod nempe certus

reddi-

reddit iurs, cui literæ dātur, fore, vt istud beneficium obtineat, quod ei in literis promittitur. Sacramentum ergo est *signum certificans* nos de remissione peccatorum promissa in literis Euangelii. In hac breui & perspicua desumptione, tota natura Sacramentorum consistit, nec est quod de vllis argutiis vel *Pontificiorū* vel *Vbiquetariorum* pium pectus sit sollicitum.

Intellexi quid est Sacramentum in genere, quid sit Cœna Domini mihi iam exponas velim?

Est Sacramentum N. T. siue est *sacrū signum* in N. T. institutum à Christo, vt per panem fractum & comestum *admoneamur & certificemur* de corpore Christi pro nobis in cruce fracto & tradito, per vinum autem fusum & bibitum admoneamur & certificemur de sanguine Christi pro nobis effuso in remissionem peccatorum.

Quot sunt consideranda in Cœna Domini?

Tria vt in omni alia relatione. 1. *Relatum & correlatum*. 2. *Fundamentum*. 3. *Terminus* siue causa finalis.

Quod est relatum Cœnæ Domini & quomodo vocatur?

Vocatur *signum* seu res quæ nos de alia re quadam admonet & certificat.

Quotuplex est relatum in Cœna Domini?

Duplex. *Substantiale* & *Accidentale*.

Quod est substantiale?

Est verus *Panis* & verum *vinum*.

Quod est accidentale?

Est *fractio* panis & eiusdem sumptio, item *fusio* vini & eiusdem sumptio.

Quod est correlatum in Cœna Domini?

Vocatur *res signata*, siue res de qua admonemur & certificamur in Cœna Domini. Antiqua Ecclesia relatum vocauit rem terrenam, vt est panis & vinum, nam vtrumque ex terra creuit. Rem vero signatum vocauit *rem cœlestem*, & piè ac recte docuit, quod *Cœna Domini* constat

ſtat duabus rebus nempe terrena & cœleſti, atque ita quod accedentes ad Cœnam Domini oporteat cogitare quod ibi ſumant res duplices, nempe rem terrenam terreno modo, id eſt, panem & vinum, ore corporis, rem vero cœleſtem, cœleſti modo, id eſt, vera fide.

Quotuplex eſt correlatum in Cœna Domini?

Duplex *Subſtantiale & accidentale.*

Quod eſt correlatum Subſtantiale?

Totus Chriſtus mediator, ſecundum diuinam & humanam naturam, præſertim ſecundum corpus & ſanguinem ſuum, vtpote in quo corpore tanquam ſubiecto pro noſtris peccatis paſſus eſt, & per quem ſanguinem effuſum peccata noſtra expiauit. Et hoc eſt quod Chriſtus dicit: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur*, id eſt, in cœna Domini admonemini & certificamini de corpore meo, quatenus in cruce pependit, quatenus in cruce eſt pro nobis traditum, & de ſanguine meo, qui eſt in cruce effuſus.

Quod est correlatum Accidentale?

Sunt omnia *beneficia*, passione & morte Christi nobis parta, vt est *remissio peccatorum, regeneratio, Sanctificatio*, & denique *vita æterna*, sicut dicit Christus: *Sanguis meus qui pro vobis est effusus in remissionem peccatorum.*

Audiui de relato & correlato in Cœna Domini, erudias me etiam de fundamento Sacræ admonitionis & certificationis?

Fundamentum seu Efficiens causa Cœnæ Domini est, vel ex parte *ipsius rei* seu Sacramenti, vel ex parte *nostri* qui Sacramento vtimur.

Quod est fundamentum ex parte Sacramenti?

Est duplex: *Institutio* Christi & *conuenientia*, seu correspondentia signi, & rei signatæ.

Quæ sunt consideranda circa institutionem Christi?

Duo. 1. *Historia* Institutionis Cœnæ D.

quæ

quæ ab Euangeliſtis deſcribitur. 2. Verba inſtitutionis præcipua: quæ ſunt, *Hic panis eſt corpus meum, quod pro nobis traditur. Hoc poculum eſt nouum teſtamentum in ſanguine meo.*

Quomodo hæc verba ſunt intelligenda?

Sunt intelligenda *Secundum naturam ſignorum* ſeu Sacramentorum, quæ non ſunt *Tranſubſtantiationes*, vel *Conſubſtantiationes* rerum, ſed vt ſupra diximus ſunt ſignificationes ſeu ſigna rerum. Itaque hæc verba non *ſubſtantialiter* ſunt intelligenda, quaſi panis ipſa eſſet ſubſtantia corporis Chriſti: nam hac ratione panis pro nobis pependiſſet in cruce, & fuiſſet pro nobis in mortem traditus. Item Poculum eſſet pro nobis in cruce effuſum, & effluxiſſet ex corpore Chriſti. Non ſunt intelligenda *conſubſtantialiter*, quaſi corpus Chriſti eſſet incluſum pani, & quaſi ſanguis Chriſti eſſet incluſus vino. Nam Chriſtus non dicit: in hoc pane eſt meum corpus, aut in hoc vino eſt meus ſanguis, nec vult docere vbi ſit ſuum corpus, & ſuus ſanguis, nam

id videbant diſcipuli dum Chriſtus ad menſam ſederet: ſed ſunt intelligenda iſta verba *ſignificatione commemoratrice & certificatrice*, perinde ac ſi dixiſſet Chriſtus: Panis vobis certo ſignificat, nos certò commonefacit de corpore meo pro vobis in mortem tradito, ac vinum vos certò commonefacit ac certificat de ſanguine meo pro vobis effuſo in remiſſionem peccatorum. Eſt ergo planè talis Chriſti locutio, ac cum princeps promittens alicui aliquod egregium prædium, dat illi ſuper iſta donatione literas appenſo ſigillo, & tradens illas literas cum ſigillo dicit. En tibi prædium. Non dat ei prædium ſubſtantialiter in manus, & per conſequens iſta locutio principis non eſt ſubſtantialiter intelligenda, quaſi iſtæ literæ & ſigillum eſt ipſa ſubſtantia prædii, vel quia illud prædium concluderetur in ſigillo; ſed eſt locutio ſignificatiua & certificatiua quæ ſic intelligenda eſt. Hæ literæ meæ & hoc ſigillum te commonefaciunt & certificant, quod verè habiturus & poſſeſſurus ſis iſtud prædium. Concludimus ergo corpus & ſanguinẽ Chriſti, quoad

ſub-

ſubſtantiam, non eſſe in pane nec in illo loco vbi Cœna Domini adminiſtratur, ſed eſſe reuera in cœlo. Sicut dicitur. *Aſcendit ad cœlos, inde venturus ſolummodo ad extremum iudicium.* Panem autem & vinum commonefacere nos & certificare, quod illud corpus in cœlo iam ſubſiſtẽs, ſit pro nobis traditũ in cruce, & ſanguis Chriſti ſit pro nobis effuſus. Quod notetur contra *Pontificios* & *Vbiquitarios* qui quærunt corpus & ſanguinem iſto loco, vbi eſt panis & vinum.

Quod eſt alterum fundamentum ex parte Sacramenti?

Eſt *conuenientia & correſpondentia* inter ſigna & rem ſignatam, ſeu eſt aptitudo, per quam panis nobis poteſt ſignificare & certificare de *corpore Chriſti* pro nobis tradito. Vinum etiam poteſt nos commonefacere & certos facere de *ſanguine Chriſti* pro nobis effuſo.

Qua nam in re conſiſtit illa aptitudo Panis veri ad ſignificandum corpus Chriſti?

Conſiſtit in tribus. 1. quod ſicut panis

frangitur, ita Christi corpus pro nobis frangitur & laceratur in cruce, sicut Paulus dicit: *Hic panis est communio corporis Christi.* 2. Sicut panis habet *vim nutriendi*, ita quoque corpus Christi pro nobis in mortem traditum, habet virtutem conscientias nostras, propter peccata exhaustas & ferè confectas reficiendi. 3. In eo, quod sicut non tantum nutrit, sed etiam *roborat* corpus nostrum: ita quoq; corpus Christi pro nobis in mortem traditum, habet virtutem miseras nostras conscientias perpetua virtute consolandi & sustentandi.

Qua in re consistit correspondentia vini cum sanguine Christi?

In tribus. 1. Sicut vinum in poculum infunditur & ex poculo, *effunditur*: ita sanguis Christi ex corpore effluxerit & effusus sit in cruce. 2. Sicut vim habet vinum *vegetandi* siue calefaciendi & humectandi corporis nostri, & augendi spiritus vitales & animales. Item, sanguis Christi seu meritū sanguinis Christi habet vim vegetandi frigefactas pec-

cato

cato & exiccatas noſtras conſcientias. 3. Sicut vinum *lætificat* cor hominum, & magnam vim habet exhilarandi animum. Ita quoque meritum Chriſti ſiue ſanguis, ineffabilem lætitiam efficit in animis noſtris de qua Dauid Pſal. 51. *Redde mihi lætitiam.*

Audiui de fundamentis Cœnæ Domini reſpectu ipſius Sacramenti, ſeu reſpectu ipſarum rerum, dic mihi quod eſt fundamentum reſpectu vtentium, ſeu reſpectu noſtri?

Eſt vera *fides*, quâ nempe ſigna illa ſic intuemur, tanquam ſignificantia, commemoratiua, & certificantia nobis corpus Chriſti & ſanguinem Chriſti, atque adeo totum eius meritum, atque adeo ex iſto merito certo ſequentem remiſſionem. Nam in Cœna Domini non datur nobis remiſſio peccatorum, nec habet panis poteſtatem expiandi peccata, nec vinum, vt peruerſe *Pontificii* opinantur, ſed confirmatur fides noſtra per iſta ſigna de remiſſione peccatorum ante

accepta, antequam ad cœnam illam accedamus.

Qua in re consistit illa fides, quæ ad Cœnam Domini afferenda est, & quæ per Cœnam Domini confirmatur?

Consistit in duobus. 1. in *certitudine*, vt certo credamus pro nobis Christi corpus traditum esse & sanguinem pro nobis, i. e. pro illa persona, quæ ad Cœnam Domini accedit effusum esse. 2. Cōsistit in *appropriatione*, vt nempe nobis appropriemus Christi passionem, & statuam' nos tanquam membra Christi, cũ Christo tanquam capite nostro ita vnum factos esse, vt sicut ipse propeccatis nostris passus est, ita nobis propter istam passionē peccata ista omnia tam certo remitti, ac si nos ipsi in cruce pependissemus, & nostrum proprium corpus ibi tradidissemus, & nostrum sanguinem ibi effundissemus.

Audiui de fundamento Cœnæ Domini, restat vt me doceas de termino siue de causa

causa finali, propter quam instituta est Cœna Domini, & propter quam ego vti debeam Cœna Domini?

Terminus seu Causa Finalis est, tum *respectu Christi*, tum *respectu nostri*. Respectu Christi est *commemoratio* acerbissimę passionis eius, quam pro nobis sustinuit in anima & in corpore eius, Commemoratio inquam gratiarum actoria, vt ipsi nempe pro tanto beneficio & amore erga nos inenarrabili in publico cœtu & congregatione, & conspectu Ecclesiæ cum ista commemoratione gratias agamus: Sicut dicit. *Hoc facite in mei commemorationem* siue Eucharisticam, siue gratiarum actoriam, vnde etiam *Eucharistia* dicta est, ab hoc vsu principali Cœnæ Domini: Respectu autem nostri fundamentum seu vsus Cœnæ D. est vel *primus*, vel *ortus* à primo.

Quis est primus vsus respectu nostri?

Est duplex. 1. *Confirmatio*, certificatio fi-

dei noſtræ, de obtenta à Deo remiſſione peccatorum propter Chriſti corpus pro nobis in mortem traditum, & propter ſanguinem eius pro nobis in cruce effuſum. Poſterior vſus eſt, *nutritio*, roboratio, vegetatio, & exhilaratio conſcientiarum noſtrarum, quæ onere peccati erant exhauſtæ, ſiccatæ, & contriſtatæ.

Quis eſt vſus ortus à Primo?

Eſt triplex. 1. *Conſecratio* noſtri ipſius, quod ſicut Chriſtus ſemel in ara crucis ſemet obtulit pro nobis, ita nos in hoc actu publico Eccleſiæ nos, & totam vitam noſtram ſeu omnia noſtra Deo & eius filio. 2. *Confeſſio fidei* noſtræ publica, vt nempe per hæc externa Symbola veluti per quandam teſſeram militarem confiteamur, cui cœtui nos aſſociemus, & cui religioni ſimus addicti. 3. Vt etiam hoc publico actu in conſpectu Eccleſiæ nos *obligemus*, ad caritatem proximi, & ad præſtanda opera caritatis; illis inprimis, qui ſunt ſocii confeſſionis & religionis nobiſcum. Vnde & *veteres* cœnam Domini

mini dixerunt ἀγαπὴν dilectionem, & distribuerunt ſemper illi omnes qui acceſſerunt ad Cœnam Domini Eleemoſynam pauperibus, vt teſtarentur ſe per vſum Cœnæ Domini obligatos eſſe ad præſtanda opera dilectionis proximo. Hæc eſt vera doctrina de Cœna Domini ex verbo ſolo Dei, & natura Sacramentorum petita. Contra verò *Miſſa* eſt horribile monſtrum & idolum, è variis & horrendis blaſphemiis ab *Antichriſto* conflatum, per quod tota præſtantia Cœnæ Domini aufertur, Dum nempe dicunt: *Chriſtum in Sacra Cœnæ inſtitutione, antequam corpus & ſanguinem ſuis diſcipulis largiretur, ſeipſum ſub pane & vino verò ſed modo incruento, in honorem patris obtuliſſe, & vt porro facerent diſcipuli & omnes, ſanxiſſe.* Sicut quidem Sacrificuli peculiaribus quibuſdam verbis velut incantationibus Magicis, itemque hiſtrionicis geſtibus & ceremoniis aiunt ſe perficere, & dicunt *eſſe ſacrificium propitiatorium veriſſimum pro peccatis, pœnis, & omnibus neceſſitatibus non tantum viuorum, ſed &*

mortuorum: atque ita horribiliter velut conculcant pedibus passionem Christi, quæ vt supra probauimus sola & vnica est propitiatio pro peccatis nostris semel tantum facienda & facta, non autem sæpius iteranda, vt sunt expressa verba, contra illud idolum *Missæ* obseruanda vt Heb. 10. v. 12. *Christus una pro peccatis in perpetuum oblata victima consedit ad dextram* Dei, & vers. 14. *Vnica oblatione consecrauit in perpetuum eos qui sunt iustificati*, vide plura de abominationibus *Missæ Papisticæ* admodum perspicuè proposita in explicatione *Vrsini* ad quęst. 80.

Præparasti me ad Cœnam Domini per notitiam tam generalem quam Specialem restat vt me etiam præpares per veram deuotionem. Quænam ergo pertinent ad istam Veram Deuotionem?

Duo. 1. Vt cogites, *quoties sit vtendum* Cœna Domini, 2. vt consideres *quomodo digne vtendum sit*.

Quo-

Quoties est vtendum Cœna Domini?

Sæpe : vbi quidem certus numerus nemini præscribi potest, vtpote quem ipse pro sua pietate subducere debeat. In *primitiua* quidem *Ecclesia* toties vtebantur Christiani Cœna Domini quoties accedebāt ad audiendum verbum Dei, vt apparet ex. 3. Actor. vbi dicuntur Christiani conuenisse ad audiendum verbum Dei, & ad fractionem panis, id est Cœnam Domini. Consultum tamen fuerit singulis annis *quater* accessisse, aut *bis* ad minimum, idque propter has Causas. 1. Quia pro ingenti beneficio, quód Christus nobis sua Passione præstitit, frequentes & solennes *gratiæ agendæ* sunt. 2. Quia Christus expresse *mandat : quotiescunque feceritis in mei recordationem*, vbi vocabulum quotiescunque imponit numerum pluralem, id est, tam sæpe quam sæpe accesseritis, vt præsupponat sæpe nos accedere debere. 3. Debemus hoc etiam & nostræ fidei vt eam *confirmemus*, debemus

conſcientiis noſtris, vt eas nutriamus, vegetemus, exhilaremus. Excitamus enim nos hoc adminiculo ad ſtudium nouæ vitæ, dum nempe nos conſecramus per vſum Cœnæ D. Debemus etiam Eccleſiæ, vt nempe publicè *teſtemur*, nos eius ſocios eſſe & membra: Denique debemus præſtare propter *vitandas pœnas corporales*; Nam. 1. Cor. 11. verſ. 30. dicitur. *Propterea multi ſunt inter vos debiles & ægroti, multi valetudinarii*, &c. vbi docet Apoſtolus, quod Deus multos in *Eccleſia Corinthiorum* puniuerit morbis & morte, propterea quod non rectè vterentur Cœna Domini, quod ſi autem Deus punit morbis & morte propter malum vſum, quantò magis puniet propter rarum vſum Cœnæ Domini?

Doce me porro quomodo digne vtendum ſit Cœna Domini, & qualis debeat eſſe deuotio?

Illud eſt inprimis neceſſarium propter

pter seuerissimam vocem Apostoli. 1. Cor.11.v.7. *Itaque quisquis ederit panem hunc, & biberit poculum hoc indigne, reus tenetur corporis & sanguinis Christi*, id est, reus tenetur violati huius Sacri sigilli, quo corpus & sanguis Domini nobis repræsentatur & certificatur. Et addit deinde. *Probet seipsum homo quisque, & ita de pane illo edat & de poculo bibat; nam qui edit & bibit indigne, damnationem sibi edit & bibit, non discernens corpus Domini*, id est, non cum reuerentia vsurpans S.S. ista sigilla, quibus certificamur de corpore Domini, atque adeò non discernens inter panem communem, quē in mensa edimus, & panem qui officio certificandi sacer est. Et sic etiam de vino.

Quotuplex debet esse illa Deuotio?

Duplex. Vel *Antecedens* vel *Connexa*.

Quomodo vocatur antecedens probatio?

Vocatur *Probatio suiipsius*, secundum illud Apostoli iam citatum. *Probet seipsum quisq;, &c.*

Quæ est vera probatio suiipsius & in quibus partibus consistit?

Probatio suiipsius nihil est aliud, quã *examen suæ conscientiæ*, quid homo de seipso constituit, & hoc examen est triplex.

Quod est primum Examen?

Examen *miseriæ* nostræ, quod vel *generale*, cum nempe consideramus nobiscum miseriam totius humani generis, quæ ex lapsu primorum parentum orta est, & consistit in peccato & peccati pœna. *Speciale* vero examen est miseriæ tuæ propriæ, quod consistit in duabus partibus. 1. In *agnitione peccatorum*, quæ tu singulis diebus perpetrasti, vel omittendo bona vel committendo mala, & tam circa bona opera quæ præstare debuisses, quam circa preces vel inuo-

inuocationem quotidianam, quæ vel omiſſa fuit, vel frigida, ſimulque conſideratio pœnarum corporalium & æternarum, quæ propter noſtra peccata meruimus. 2. In ſerio dolore & *pœnitentia* propter iſta peccata. Conſultum eſt tertio die ante Cœnam Domini, Exempli gratia, die Veneris tale examẽ inſtitui, & eo die legi tum primam partem S. Theologiæ, tum etiam caput. 20. Exod. 28. Deut. tum addi precationem ex Pſal. 51. & 38.

Quod eſt ſecundum Examen?

Eſt *examen fidei* quo nempe recolligis & inſtauras fidem tuam in Chriſtum, & *cogitas* de eius perſona, eius officio, & inprimis de eius Paſſione & morte, eamq; paſſionem & mortem tibi *applices* & certò ſtatuas, tibi propter illam omnia peccata eſſe remiſſa. Vbi conſultum fuerit doctrinam de remediis miſeriæ vſq; ad doctrinam de ſanctificatione legere & cap. 26. 27. Mat. 17. 18. 19. Ioh. 53. Eſaiæ & 8. ad Rom.

Quod eſt tertium Examen?

Eſt *examen ſanctificationis* ſeu nouæ vitæ, quod conſiſtit in duplici propoſito, firmo nempe. 1. poſthac bona opera Deo & proximo debita præſtandi. 2. In propoſito Deum quotidie inuocandi, vbi repeti poteſt doctrina de Sanctificatione, & legi capite. 5. & 6. Matth. capite. 12. & ſequentib. ad Rom. capite. 12. Hebr. poſteriora capita. ad Gal. Epiſtola ad Col. ad Ephes. vtramque Epiſtolam Ioh. Iacobi. & hoc ſecundum examen poſſet inſtitui die Sabbathi.

Audiui de Deuotione quæ debet antecedere vſum Cœnæ Domini, dic mihi de deuotione quæ debet eſſe coniuncta cum vſu Cœnæ Domini?

Hæc deuotio eſt vel *externa*, vt nempe ſobrie

ſobriè & reuerenter ad hunc ſacrum a-ctum accedamus quo ad externum ge-ſtum: vel principalis & *interna*, quæ con-ſiſtit in his quatuor. 1. vt Chriſto deuo-tiſſimas *gratias agas* pro paſſione & mor-te, quam tui gratia ſuſtinuit. 2. Vt ſu-mens panem ſacrum fidem tuam *certifi-ces & appropies* tibi meritum paſſionis Chriſti, atque addo fractionis eius in cruce, tuamq; conſcientiam nutrias & robores tali certificatione. Deinde ſu-mens vinum cogites ſanguinem Chriſti pro tuis peccatis eſſe effuſum, atque ita conſcientiam tuam vegetes & exhila-res. 3. Deuotio eſt in *conſideratione tui-ipſius*, vt nempe te poſthac totum dedi-ces & conſecres animo & corpore & o-mnibus operibus tuis. 4. vt *cogites de Eccleſia* in cuius conſpectu vteris Cœna Domini, & conſtituas firmum propoſi-tum manendi in illa Eccleſia, & opera dilectionis fratribus præſtanda. Ad quas quatuor deuotiones præſtandas, quili-bet poterit certas precandi formulas circa iſtum Sacrum actum adhibere. Atque ita abſoluimus doctrinam de ve-

ra *præparatione ad Cœnam Domini*, ſimulq; ſummam & *Compendium totius S. S. Theologia*. Quod ſupereſt Deum deuote precemur, vt cum verbum ipſius ſit lucerna pedib. noſtris & lumen ſemitis noſtris, illuminet, & aperiat [illegible] noſtra, quo Sacroſancti verbi eius oracula, rectè intelligamus, & in ea quę intelleximus piè transformemur, [illegible] ne maieſtati illius vlla ex parte diſpliceamus, per

I. C. D. N. A-

men.

FINIS.